MASTER NEGATIVE
NO. 93-81283-9

AUTHOR:

CAGNAT, RENE

TITLE:

DE MUNICIPALIBUS ET PROVINCIALIBUS ...

PLACE:

LUTETIAE PARISIORUM

DATE:

1880

Master Negative #

93-81283-19

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Cagnat, René Louis Victor, 1852-1937.
De municipalibus et provincialibus militiis in imperio Romano; thesim proponebat...René Cagnat... Lutetiae Parisiorum, Thorin, 1880.
98 p. 23 cm.

Thesis, Paris.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 16x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-26-93 INITIALS M.DC.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE MUNICIPALIBUS

ET

PROVINCIALIBUS MILITIIS

IN IMPERIO ROMANO

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI AD GRADUM
DOCTORIS PROMOVENDUS

RENÉ CAGNAT
Olim Normalis Scholæ alumnus.

LUTETIÆ PARISIORUM
APUD E. THORIN, BIBLIOPOLAM ET EDITOREM,
7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7.

1880

DE MUNICIPALIBUS

ET

PROVINCIALIBUS MILITIIS

IN IMPERIO ROMANO

945. — Imprimerie A. Lahure, 9, rue de Fleurus, Paris.

DE MUNICIPALIBUS

ET

PROVINCIALIBUS MILITIIS

IN IMPERIO ROMANO

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI AD GRADUM
DOCTORIS PROMOVENDUS

RENÉ CAGNAT
Olim Normalis Scholæ alumnus.

LUTETIÆ PARISIORUM
APUD E. THORIN, BIBLIOPOLAM ET EDITOREM,
7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7.

1880

DESIDERATISSIMI PATRIS MEMORIÆ

MATRI AMATISSIMÆ

CARISSIMO SOCERO

E. HAUVETTE-BESNAULT

DE MUNICIPALIBUS

ET

PROVINCIALIBUS MILITIIS

IN IMPERIO ROMANO

PROŒMIUM

De municipalibus et provincialibus militiis quæ in orbe romano, ætate imperatorum, existebant, hic disserere constituimus. Hoc nomine comprehendimus omnem militum manum aut armatorum, aut semiermium, quæ, inter civitatis aut provinciæ incolas, injussu Romanorum delecta, popularibus parebat ducibus; ideoque omnino diversa erat a legionibus, a cohortibus aut equitum alis auxiliaribus, a vexillationibus aut etiam a copiis tumultuarie, in rebus trepidis, per provincias congregatis; hæ enim, ab ipsis Romanis conscriptæ, justo exercitui immisceri solebant, nec quidquam aliud erant quam genus quoddam auxiliorum.

Forsan mirum videbitur tales militias in romano imperio exstitisse; certa tamen res est. Notum est enim ab Augusto imperatore omnes legiones in finitimis imperii provinciis distributas fuisse, ceteras vero orbis romani partes militari præ-

sidio fere omnino esse destitutas, ita ut jure dici potuerit quingentas Asiæ urbes, sine ullo milite a præside administrari[1].

Quamvis tamen in his bellum quievisset, non ab omni infesto impetu vel prædonum vel piratarum tutæ erant. Quod multis documentis probari facillime possit; nam oppressi a Pompeio piratæ mox mare rursus occupaverant et prædones per provincias haud infrequenter vagabantur[2]. Quoties gravior eorum vis sæviebat, contra eos, tanquam adversus publicos romani imperii hostes, expeditio a senatu aut ab imperatoribus decernebatur[3]; id vero non fieri solebat. Plerumque romani milites quietem servandam in regionibus non curabant.

Notandum est tamen militum stationes in variis locis ad id dispositas esse. Hoc vero institutum in Italia tantum videtur, sub primis saltem imperatoribus, vere viguisse[4]; quæ autem in provinciis militum stationes existebant, ad alios fines sæpius spectabant; exempli gratia, portitoribus stationarii milites adjungebantur qui eos a mercatorum vi protegerent, et consulerent ut iis debita pecunia exsolveretur. Tertio tantum sæculo ad investigandos latrones eas militum stationes adhi-

1. Joseph. *B. J.* 2, 16, 4. Τί δὲ αἱ πεντακόσιαι τῆς Ἀσίας πόλεις; οὐχὶ δίχα φρουρᾶς ἕνα προσκυνοῦσι ἡγεμόνα, καὶ τὰς ὑπατικὰς ῥάβδους; De his provinciis inermibus a Tacito dictis, et præsidiis quæ in eas mittebantur, cf. Marquardt, *Staatsverw.* II, p. 517 sq. et J. Jung, *die Militär-verhältnisse der sogenannten provinciæ inermes des Röm. Reichs. Zeitschrift für die Oesterreichischen Gymnasien.* 1874, p. 668-696 et p. 818.

2. Cf. Duruy. *Hist. des Rom.* (Éd. in-4°) II, p. 789, et (éd. in-8°) V, p. 515 sq.

3. *Ann.* 2, 85. Factumque patrum consultum ut quatuor millia libertini generis, ea superstitione infecta, quis idonea ætas, in insulam Sardiniam veherentur coercendis illic latrociniis. — Dio. 76, 10. Ἐν δὲ τῷ καιρῷ τούτῳ Βούλλας τις Ἰταλὸς ἀνὴρ, λῃστήριον συστησάμενος ὡς ἑξακοσίων ἀνδρῶν, ἐλῄζετο τὴν Ἰταλίαν ἐπὶ ἔτη δύο.... Ἐδιώκετο μὲν γὰρ ὑπὸ συχνῶν ἀνδρῶν, φιλοτίμως αὐτὸν ἀνιχνεύοντος τοῦ Σεβήρου. Cf. Amm Marcell. 27, 9, 6 et 7; 28, 2, 10, etc.

4. Cf. infra p. 74

bitas esse certum est[1]; quanquam non credendum est eos antea a latrocinio inhibendo omnino abstinuisse[2]. Ea vero tutela prorsus infirma erat, et oportebat civitates aut provinciæ proprios milites haberent quibus pax et regionum et ipsarum urbium servanda crederetur.

Tales ergo milites invenimus tam in provinciis quæ legionibus carebant quam in aliis. In Asia enim et irenarchæ existebant et præfectus Ponticæ oræ, qui romanis militibus præerat, et in Hispania Tarraconensi ubi legionarii milites castra stativa habebant, provincialem militiam cui littus custodiendum erat, reperias.

Eas vero militias dignoscere a publicis populi romani copiis interdum difficile est, difficilius autem perspicere quomodo constitutæ fuerint; namque paucissima de iis testimonia ad nos pervenerunt, eademque sæpe obscura. Præterea aliquid in universum concludi non potest. Primum enim non videntur ubique istiusmodi militiæ exstitisse; exempli gratia, in Africa nullam certo deprehendimus. Deinde aliter alibi res ordinabantur, eaque ipsa varietas quærentem impedit. Postremo in nonnullis civitatibus non permanentes erant eæ militiæ; sed quoties id erat necessarium, in unum cives aut pars civium congregabantur; postquam autem periculum propulsatum fuerat, depositis armis, quisque domum redibat, nec ulla jam militia exstabat. Inde res percipitur quæ primo valde mira videtur : earum militiarum præfecti aut duces, in inscriptionibus præsertim, memorantur, rarissime vero gregarii militis mentio occurrit. Ii enim cives qui ad tempus militum vice fungebantur, nequaquam isto munere gloriari poterant,

1. Tertull. *Apol.* 2. Latronibus vestigandis per universas provincias militaris statio sortitur.

2. Certum est enim oram Ponticam a militibus romanis asservatam esse : res et aliis locis conjectari potest. Cf. Jung, *l. c.*, p. 672 sq. Marquardt, *op. c.*, p. 517, et præsertim n. 7.

unde nec laus, nec fama suppetebat. Legionarius miles legionem cui adscriptus erat in titulis memorabat quia in ea maximam partem vitæ consumpserat, nec quidquam aliud erat quam miles; iis vero municipalibus militibus, militia tantummodo civile onus erat. In illis autem civitatibus ubi res stabilius constituta erat, pro militibus sæpius servi publici aut istiusmodi ministri adhibebantur, qui pro nihilo habebantur et pauca sui testimonia reliquerunt.

Præfecti vero, quamquam eæ præfecturæ muneribus civilibus annumerabantur[1], inter primores civitatum eligebantur, nec mirum est eos hunc municipalem honorem, inter alios, titulis inseruisse.

Si solum copiam documentorum et rei momentum spectavissemus de *Tribunis militum a populo* ante omnia disceptare æquum erat. At quum doctissimos inter viros orta nuper contentione, sub judice adhuc lis sit, potius nobis visum est ante de aliis militiarum municipalium præfectis quam de *Tribunis militum a populo* disserere, ut inde aliquid luminis et disputaturis nobis et lecturo subveniat[2]. Multum enim profecerimus ad rem explanandam, si pro certo habueris in quibusdam inscriptionibus, inter municipales honores, mentionem muneris militaris municipalis occurrere.

Primum ergo agemus de *Præfectis vigilum et armorum* Nemausensibus, iisque qui per reliquas imperii partes his similes esse nobis videntur. Deinde quæremus qui fuerint *Præfecti oræ maritimæ* quorum aliquot Tarraconenses tituli exstant. Postea ad *Irenarchas* veniemus, qui multis græcis

1. Cf. Kuhn. *Die städtische und bürgerliche Verfassung des Röm. Reichs.* Leipzig, 1864., in-8°, p. 43, 44.

2. Re vera non ad imperatorum ætatem pertinent; attamen quum et quidam eos post Augustum stetisse suspicentur, et Cæsari ipsique Augusto æquales fuisse eos constet, eos non extra propositum hujus libelli jacere credidimus.

inscriptionibus memorantur. Tum, postquam de *Tribunis militum a populo* aliquantum disputaverimus, de ceteris municipalibus militiis, quarum aliqua vestigia supersunt, pauca dicemus; postremo inquiremus quæ fuerint diversæ militiarum municipalium partes.

Antequam tamen rem aggrediamur, liceat nobis grates agere doctissimis iisdemque dilectissimis magistris nostris, L. Renier et E. Desjardins, quod ad hoc opus suscipiendum multum nos juverint, alter ineditas inscriptiones deferendo quas ipse descripserat, nec sine commentariis, alter consiliis et auctoritate nos sustinendo.

CAPUT PRIMUM

De Præfectis vigilum et armorum

Militiæ municipalis præfectos quosdam Nemausi exstitisse constat qui *Præfecti vigilum et armorum* nuncupabantur. Eas inscriptiones quibus memorantur plerasque jam doctissimi viri Kellerman[1] et Herzog[2] vulgaverunt ; earum tamen plenam seriem ex ectypis aut accuratissimis apographis editam, nobisque a clarissimo L. Renier allatam, proferemus.

1.

Renier, ex ectypo. = Kellerm. 29. = Herzog, 124.

Q · SOILLIO · T · F · VOLT
VALERIÁNO
*i*III VIR · AB · AERAR*io*
*p*ONTIFICI · PRAEFECTO
VIGILVM · ET · ARMORV*m*
e QVVM · PVBLICVM · HABE*nti*
l.D · D · *d*.

V. 1. ..... SOILLIO, Herzog.

Q. Soillio, T. filio, Volt(inia tribu), Valeriano, [i]III vir(o) ab aerar[io], [p]ontifici, præfecto vigilum et armoru[m], [e]quum publicum habe[nti]; [l(oco)] d(ato) d(ecreto) d(ecurionum)].

1. Kellermann. *Vigilum romanorum latercula duo Cælimontia*. Romæ, 1837. in-4°, p. 33, n. 22 sqq.

2. Herzog, *Galliæ Narbonensis historia, descriptio, institutionum expositio*. Lipsiæ, 1864, in-8°. Append. n. 120 sqq.

2.

Renier, ex ectypo. = Wilmanns, 2198. = Herzog, 123. = Kellerm. 24.

C . FVLVIO · C · FIL · VO*lt*
LVPO · SERVILIÁN*o*
ADLECTO · INTER · PRAETOR*ios*
AB · IMP · CAESARE · AVG · VESPA*s*
PRAEFECTO · ÁLAE · LONGINIA*e*
IIII VIR · AD · AERARIVM
PONTIFICI · PRAEFECTO · VIG*il*
IVLIA · D · FIL · CONCESS*a*
VIRO

V. 1. VOL, Herzog. — V. 4. VESPAS, id. — V. 5. LONGINIÆ, id. — V. 7. VIGIL, id. — V. 8. CONCESSA, id.

C. Fulvio, C. fil(io), Vo[lt(inia)] (tribu), Lupo Servilian[o], adlecto inter prætor[ios] ab imp(eratore] Cæsare Aug(usto), Vespa[s(iano)], præfecto alæ Longinia[e], IIII vir(o) ad ærarium, pontifici, præfecto Vig[il(um)]; Julia, D. filia, Concess[a], viro.

3.

Renier, ex ectypo.

............ANNIO
RVSTICO
IIII VIR AD AER
PONTIF · PRAEF
vigil. et armor

..... Annio Rustico, IIII vir(o) ad ær(arium), pontif(ici), præf(ecto) [vigil(um) et armor(um)].

4.

Renier, ex ectypo.

SEX · VIRILLIO
SEX · FIL · VOLT
SEVERINO

IIII · VIR · IVR
DIC · PONTIFIC
PRAEF · VIGIL
ET · ARMORVM
PRIMITIVOS
LIB

Sex. Virillio, Sex. fil(io), Volt(inia tribu), Severino, IIII vir(o) jur(e) dic(undo), pontific(i), præf(ecto) vigil(um) et armorum, Primitivos, lib(ertus).

5.

Kellermann, 28. = Or. 2157. = Herzog, 120.

D M · V · F
SEX · SAMMIVS
SEX · F · VVLTIN
APER · DOMO · NEMAVSO
IIII VIR · IVREDICVNDO
PONTIFEX · PVBLICORVM
SACRIFICIORVM
PRAEFECT · VIGILVM
ET · ARMORVM

D(iis) m(anibus) v(ivus) f(ecit) Sex. Sammius, Sex. f(ilius), Vultin(ia tribu), Aper, domo Nemauso, IIII vir juredicundo, pontifex publicorum sacrificiorum, præfect(us) vigilum et armorum.

6.

Kellermann, 26. = Herzog, 122. = Wilm. 2201.

Lucretio... f. Volt.
*ho*NORAT · IIII · VIR · IVRI
DICVNDO · PONTIFIC
PRAEF · VIGIL · ET · ARM
Q · LVCRETIVS · HONORAT
PATRI · OPTIMO · PIENTIS

V. 2. IVRIS, Herzog. — 3. DICVNDI, id. — V. 4. ARMOR, id. — V. 6. PIISSIMO, id. — V. 7. PIETATIS [caussa], id.

...[Lucretio,... f(ilio), Volt(inia tribu), Ho]norato, IIII vir(o) juridicundo, pontific(i), præf(ecto) vigil(um) et arm(orum), Q. Lucretius Honorat(us), patri optimo, pientis(simo).

7.

Kellermann, 22. = Herzog 121. = Wilmanns, 2200.

D·M.
C · CASSELLI · VOL
POMPEIANI
PRAEF·FAB
IIII VIR · IVRIDICVNDO
PRAEF · VIGIL·ET·ARM
ANTONINA
TITVLLIA · VXOR

V. 4. PRAEFEC, Herzog.—V. 7. ANNONIAE TITULLAE, id.— V. 8, UXORI, id.

D(iis) m(anibus) C. Casselli(i), Vol(tinia tribu), Pompeiani, præf(ecti) fab(rum), IIII vir(i) juridicundo, præf(ecti) vigil(um) et arm(orum), Antonina Titullia uxor.

8.

Herzog, 247. = C. I. Gr. 6786. = Kellermann, 25. = Wilm. 2202.

TI · IVLIO·T·F·DOLABELLAE
IIII VIR · AB · AERAR· PONTIF
PRAEF · VIGIL · ET · ARMÓR
SACRA·SYNHODOS·NEAPOLI · CERTAMINE·QVINQVENNÁLI·DEC

V. 1. TI·IVLIO·T·F·VOLT·DOLABELLÆ, Herzog. — V. 4. SYNODOS, id.

Ti. Julio, T. f(ilio), Dolabellæ, IIII vir(o) ab ærar(io), pontif(ici), præf(ecto) vigil(um) et armor(um), sacra synhodos, Neapoli, certamine quinquennali, decrevit.

Sequitur decretum, græca lingua scriptum, in quo mentio fit imperatoris Trajani Hadriani.

9.

Kellermann, 27. = Herzog, 126.

D · M
M · N V M E R I I
M · FIL · VOL T
MESSORIS · PRAEF
VIGIL · ET · ARMOR
IVLIA VALENTINA
FILIO PIISSIMO
NVMERIANA... RIVIA
ET NVM...... ENINA
FRATRI·OPTIMO

V 8. NVMERIA N..... VLA, Herzog. — V. 9. NVM..... NINA, id.

D(iis) m(anibus) M. Numerii, M. fil(ii), Volt(inia tribu), Messoris, præf(ecti) vigil(um) et armor(um), Julia Valentina filio piissimo, Numeria.... et Num(eria)..... fratri optimo.

10.

Descripsit Renier.

.... COMINIO
.... *f*·VOLT
.... ANO·EQ
publ. H A B E N T
.... QVINO ?
.... M·COL
.... IIII VIR
.... *p*ONTIF
praef. vigil. et ARM
.... ORE

....Cominio,..... [f(ilio)], Volt(inia tribu),.....ano, eq(uum) [publ(icum] habent(i), ... IIII vir..., [p]ontif(ex), [præf(ectus) vigil(um) et] arm (orum).....

11.

Kellermann, 23 = Herzog, 125.

D · M
.................FABRICI
.......*f.v*OL · MONTANI
PRAEF · VIG · ET · ARM
TRIB · MILIT
*leg ii*I · CYRENEIC
TESTAM · FIERI · IVSSIT

V. 6. CYRENAIC, Herzog. — V. 7.... FIERI IVSSIT, id.

D(iis) m(anibus).... Fabrici(i),...[f(ilii), V]ol(tinia tribu), Montani, præf(ecti) vig(ilum) et arm(orum), trib(uni) milit(um) [leg(ionis) ii]I Cyreneic(æ), testam(ento) fieri jussit.

Eorum omnium titulorum ætatem definire difficillimum est, ut plerumque in municipalibus inscriptionibus fit. Si vero id quod nos docet clarus Herzog[1] in memoriam revocas, tempore Vespasiani nullos jam quatuorviros juredicundo Nemausi fuisse, quique antea essent, jam quatuorviros ab ærario eos dictos esse, tres inscriptiones (n. 4, 5, 7) ante Vespasiani principatum incisas esse concludas necesse est. Alius vero titulus (n. 2) ad Vespasiani imperatoris, alius (n. 8) ad Hadriani ætatem pertinet. Plerique ergo hi nostri tituli ad finem primi p. C. n. sæculi, aut ad initium secundi referendi sunt.

Quin municipalis honor hæc præfectura fuerit, non dubitari potest, quoniam, in fere omnibus quas protulimus inscriptionibus, inter medios honores municipales memoratur, juxta duumviratum et pontificatum.

Summum vero coloniæ honorem fuisse eam præfecturam concludit Herzog ex n. 9 ubi solus is honor commemoratur « ut summus omnium[2] » quod nequaquam firmum argumen-

1. Herzog. *G. N.*, p. 217.
2. *L. c.*, p. 229, n. 151.

tum nobis videtur. Unum autem ex infimis honoribus eum esse multo verius credas. In titulo enim (n. 2) quem ordine inverso incisum esse constat, honores procedunt a præfectura vigilum et armorum, per quatuorviratum ad ærarium, ad præfecturam alæ, denique ad allectionem inter prætorios; quod doctus Herzog rectissime notavit[1]; item de n. 7. Cassellius enim Pompeianus haud dubio primum præfectus vigilum et armorum fuit, deinde $\overline{\text{IIII}}$ vir juredicundo, denique præfectus fabrum; nempe neminem fugit præfecturam fabrum ætate imperatorum quasi transitum fuisse ex honoribus municipalibus ad honores romanæ reipublicæ, per quam sæpissime, ad præfecturam cohortis auxiliariæ, aut etiam interdum ad tribunatum militarem summi civitatis magistratus provehebantur. Ex eo vero quod in n. 9 sola præfectura vigilum et armorum memoratur, quid concludendum sit liquet : nempe M. Numerium, in cujus honorem hic titulus positus est, non usque ad duumviratum pervenisse, sive immatura morte interceptus fuit, sive ad primum honorum gradum hæsit.

De iis præfectis jam disseruit Herzog[2], eique assentimur. Proprium enim notat omnium præfectorum fuisse ut non crearentur, sed nominarentur; deinde ut non collegæ essent, sed singuli. Eos ergo præfectos vigilum et armorum nominatos fuisse suspicatur ab ipso imperatore, aut saltem permissu ejus, quod nobis verisimillimum videtur. « Fieri enim potuit ut numerum armatorum in municipio constitui ita tantum permitteret Augustus, ut præses provinciæ eum nominaret qui vigilibus illis præesset, ideoque ab hoc præfectos nostros suspicor esse nominatos. » Quod confirmatur et irenarcharum exemplo de quibus mox disseremus. Rectissime idem in memoriam revocat « a Trajano factiones metuente vetitum esse Plinium permittere ut Nicomediæ, adversus incendia, collegium fabrum, qui et ipsi vigilum instar erant, constitueretur[3]. »

1. *Ib.*
2. *L. c.*, p. 223, sq.
3. Plin. *Ep.* 10, 43.

Quod si eodem tempore Nemausensibus talem militiam retinere licebat, non profecto id jus eis sine aliqua correctione concedebatur; quid autem tutius imperatoribus erat quam iis vigilibus, per præsides, præfectum imponere?

Eos vero præfectos aut annuos esse aut in complures annos nominatos, non ad tempus incertum, suspicatur idem Herzog. Quod, quamvis nullo certo documento probetur, verisimile est.

Forte etiam ipsa hæc præfectura equestris dignitas habebatur, quod conjectare possis ex iis titulis in quibus, nullo alio publico honore gesto, eos qui hoc munere functi sunt videmus aut equum publicum habere[1], aut ad equestrem militiam transire[2].

De duplici *vigilum et armorum* titulo infra disseremus.

Eos juxta præfectos, memorandum est et alios qui in diversis imperii romani civitatibus reperiuntur et simili munere functi videntur.

1° Amisi, nocturnæ custodiæ præfectum[3].

2° Alexandriæ, strategum dictum νυκτερινὸς στρατηγὸς[4].

3° Trallibus, alium quemdam qui in græca inscriptione his verbis : Στρατηγήσαντα νυκτερινὴν στρατηγίαν, notatur[5].

4° Caruris, similem strategum qui in alia græca inscriptione memoratur[6].

5° Smyrnæ, præfectum quemdam qui in vita sancti Polycarpi memoratur[7].

Quorum in Digestorum loco quodam mentio fit[8]; unde col-

1. N. 1
2. N. 11.
3. Apul. *Met.* p. 178. « Sum namque nocturnæ custodiæ præfectus. »
4. Strab. 17, 1, 12. Τῶν δ'ἐπιχωρίων ἀρχόντων κατὰ πόλιν μὲν ὅ τε ἐξηγητής ἐστι..... καὶ ὁ ὑπομνηματογράφος καὶ ὁ ἀρχιδικαστής, τέταρτος δὲ ὁ νυκτερινὸς στρατηγός.
5. *C. I. Gr.* 2930. Τιβ. Κλαύδιον Πάν[ν]υχον Εὔτυχον Καίκιλον, στρατηγήσαντα τὴν νυκτερινὴν στρατηγίαν, δεκαπρωτεύσαντα, ἀργυροταμιεύσαντα, etc.
6. *C. I. Gr.* 3948..... ἀντὶ [σ]τρατηγίας τῆς δι[ὰ] νυκτὸς ἀνέθηκεν...
7. *Vict. Sanct.* (Ed. Boll. ap. V. Palmé.) Januar. III, p. 516, § 28.
8. *Dig.* 50, 4, 18, § 12. Sed et nyctostrategi........ personale munus ineunt.

ligitur eam præfecturam inter munera personalia annumeratam esse.

Quin et in aliis urbibus istiusmodi præfecti exstiterint, quorum memoria ad nos non pervenit, nullo modo dubium esse potest.

CAPUT SECUNDUM

De Præfectis oræ maritimæ

Hispaniæ citeriori peculiaris fuisse militia videtur, quam nec municipalem, nec provincialem recte dicas; omnino tamen diversa est a cohortibus auxiliariis exercitus romani; in ea ergo inspicienda paululum morari debemus. Cui præerat præfectus quidam *oræ maritimæ* dictus. Cujus mentio fit in octo inscriptionibus, a doctissimo Hübner editis, in Corporis inscriptionum latinarum volumine secundo. Omnes Tarracone repertæ fuerunt.

1.

C. I. L. II. 4217.

..............................RIO
Q · *fil. Gal.* FVScO
II VIR · FLAM · DIVI
CLAVDI · PRAEF · ORAE
MARIT
FLAMINI · DIVORVM · ET
AVGVSTOR · P · H · C · PROVINC
HISPANIA · CITERIOR
*or*DO · TARRACONENS
HONORES · DECREVIT

....rio, Q. [fil(io), Gal(eria tribu),] Fus[c]o, II vir(o), flam(ini) Divi Claudi(i), præf(ecto) oræ marit(imæ), flamini Divorum et Augustor(um) p(rovinciæ) H(ispaniæ) c(iterioris), provinc(ia) Hispania citerior. [Or]do Tarraconens(is) honores decrevit.

2.

a) C. I. L. II. 4225.

Q LICINIO
M · F · GAL · SILVA
NO · GRANIANO
FLAMINI · ROMAE
ET · AVG · PROVINC
HISPAN · CITER
PRAEFECTO · ORÆ
MARITVMAE
PROC · AVG
P · H · C

Q. Licinio, M. f(ilio), Gal(eria tribu), Silvano Graniano, flamini Romæ et Aug(usti) provinc(iæ) Hispan(iæ) citer(ioris), præfecto oræ maritumæ, proc(uratori) Aug(usti), p(rovincia) H(ispania) citerior.

b) C. I. L. II. 4226.

Q · LICINIO · SIL
VANO · GRANIA
NO · FLAM · AVG
PROV · HISP
CITER
PRAEFECTO · ORAE
MARITIMAE · LAEE
TANAE · PROCVRA
TORI · AVGVSTI
C · TERENTIVS · PHILE
TVS · DOMO · ROMA

Q. Licinio Silvano Graniano, flam(ini) Aug(usti) prov(inciæ) Hisp(aniæ) citer(ioris), præfecto oræ maritimæ Læetanæ, procuratori Augusti, C. Terentius Philetus, domo Roma.

3.

C. I. L. II. 4239.

M · PORCIO
M · FIL · GAL
NARBONENSI
TRIB · MIL · LEG · XXII
PRAEF · ALAE · THRAC
HERCLAN · PRAEF
ORAE · MARITVME (sic)
FLAMINI · DIVORVM · AVG
PROVINCIAE · HISP · CITER

M. Porcio, M. fil(io), Gal(eria tribu), Narbonensi, trib(uno) mil(itum) leg(ionis) XXII, præf(ecto) alæ Thrac(um) Herclan(æ), præf(ecto) oræ maritum(a)e, flamini Divorum Aug(ustorum) provinciæ Hisp(aniæ) citer(ioris).

4.

C. I. L. II. 4138. = Wilmanns, 1611.

L · ANTONIO
T · F · GAL · SILONI
PRAEF · FABR · PRAEF
CHOR · IIII · THRAC
PRAEF · CHOR · NO
VAE · TIRONVM · PRAEF
ORAE · MARITVMAE
CONVENTVS · TAR
RACONENSIS

L. Antonio, T. f(ilio), Gal(eria tribu), Siloni, præf(ecto) fabr(um), præf(ecto) c(o)hor(tis) IIII Thrac(um), præf(ecto) c(o)hor(tis) novæ tironum, præf(ecto) oræ maritumæ, conventus Tarraconensis.

5.

C. I. L. II. 4224.

P · LICINIO
L · F · GAL
LAEVINO
AED · Q · FLAMINI · RO
MAE · ET · AVG · II · VIR
PRAEF · CHOR · NOVAE · TI
RONVM · ORAE · MARITVMAE
IVLIA · Q · F
INGENVA · MATER

P. Licinio, L. f(ilio), Gal(eria tribu), Lævino, æd(ili), q(uæstori), flamini Romæ et Aug(usti), II vir(o), præf(ecto) c(o)hor(tis) novæ tironum oræ maritumæ, Julia, Q. f(ilia), Ingenua, mater.

6.

C. I. II. 4264.

L · CAECINAE
G · F · GAL · SEVE
RO · II · VIR · Q
FLAMINI · PRAEF
FABR · PRAEF · CHO
ORT · I · ET · ORAE (sic)
MARIT
L · VALER · LATINVS
BARCINONEN

L. Cæcinæ, G. f(ilio), Gal(eria tribu), Severo, II vir(o), q(uæstori), flamini, præf(ecto) fabr(um), præf(ecto) choort(is) I et oræ marit(imæ), L. Valer(ius) Latinus Barcinonen(sis).

7.

C. I. L. II, 4266.

L · CORNELIO
C · F · GAL · CELSO
II · VIR · PRAEFECTO
ORAE · MARITVMAE
COHORTIS · I · ET · II
POMPEIA · DONAC
VXOR

L. Cornelio, C. f(ilio), Gal(eria tribu), Celso, II vir(o), præfecto oræ maritumæ cohortis I et II, Pompeia Donac(e), uxor.

De ætate eorum titulorum nihil certi asseverari potest; constat tamen eos ad ætatem imperatorum, et verisimiliter ad id tempus quo florebat imperium, pertinere.

Eam præfecturam inter municipales honores annumerandam esse ex omnibus his inscriptionibus manifestum est, quippe juxta duumviratum, quæsturam aut ædilitatem inseritur et indigenis tantum tribuitur; nam in cunctis titulis Galeriæ tribus

mentio fit, cui Tarraco civitas erat adscripta, et in quibusdam vel ordo Tarraconensis[1], vel conventus[2] memoratur.

Cunctis municipalibus honoribus major hæc præfectura habebatur. Quod ex titulorum inspectione sequitur. In uno enim[3] primum honores municipales enumerantur ordine directo, ædilitas et quæstura[4], deinde duumviratus, quos inter provincialis honor inscritur, flamonium Romæ et Augusti[5], postremo præfectura oræ maritimæ; in alio[6] primum honores municipales ordine inverso, duumviratus et quæstura, deinde municipale flamonium, post præfectura fabrum quam sæpius municipalibus honoribus præstare jam diximus, denique præfectura oræ maritimæ; in tertio[7], hæc inter duumviratum et flamonium divi Claudii, honores nempe municipales, et provinciale flamonium Divorum et Augustorum inscritur.

Profecto equestris dignitas hæc præfectura erat, ut pleraque munera quæ media inter municipales honores et publicos rei publicæ romanæ erant. Quod facile perspicies; nam tum post præfecturam fabrum memoratur[8], tum post præfecturam cohortis auxiliariæ Thracum[9], tum ante præfecturam alæ[10]. Inde vero ad officia admodum insignia transire licebat: unum enim e nostris præfectis oræ maritimæ præfectum postea fuisse alæ equitum comperimus et deinde tribunatum legionis adeptum esse[11], alterum procuratorem Augusti fuisse[12]. Præfecturam autem cohortis auxiliariæ ante præfecturam oræ maritimæ[13] gestam fuisse videmus, quanquam ex unius tituli documento nihil certum affirmari potest.

Conjectare autem licet, ex exemplo præfectorum vigilum et

1. N. 1. — 2. N. 4.
3. N. 5.
4. Tarracone ædilitas ante quæsturam geri solebat. Cf. C I. L. II. p. 540.
5. De hoc honore cf. Desjardins, *Rev. de Philol.* (janv. 1879) p. 33 sqq, præsertim, p. 54, et Marquardt. *Staatsverw.* I, p. 108.
6. N. 6.
7. N. 1.
8 N. 6. — 9. N. 4. — 10. N. 3.
11. N. 3. — 12. N. 2. — 13. N. 4.

armorum Nemausensium et irenarcharum, hos præfectos ab imperatore, aut, quod idem valet, a legato Augusti pro prætore provinciæ Tarraconensis fuisse nominatos.

Notandum est quoque, quamvis his omnibus in titulis certissime de eadem præfectura agatur, eos præfectos alio nomine in aliis inscriptionibus nuncupari; quippe reperimus :

1° præf. oræ maritimæ[1].
2° præf. oræ maritimæ Lætanæ[2],
3° præf. cohortis novæ tironum, præf. oræ maritimæ[3].
4° præf. cohortis novæ tironum oræ maritimæ[4].
5 præf. coh I et oræ maritimæ[5].
6° præf. oræ maritimæ cohortis I et II[6].

Quod, quamvis prima specie mirum sit, nobis non inexplicabile videtur.

Ante omnia, *præfectum oræ maritimæ Lætanæ* idem valere ac *præfectum oræ maritimæ* manifestum est, quum de eodem viro in n. 2 (a) et 2 (b) agatur; titulus vero [n. 2 (b)] a privato positus est, qui autem n. 2 (a) inscribitur, publice[7]; in hoc ergo verum nomen reperias[8]. Quod confirmatur duobus aliis titulis qui ambo publice quoque positi sunt[9].

Quin *præfectus cohortis novæ tironum, præfectus oræ maritimæ* idem sit ac *præfectus cohortis novæ tironum oræ maritimæ*, haud nobis dubium; in hoc autem titulo, matris impensa in filii honorem inciso, vox *præfectus* omissa est, consulto forsan, spatio deficiente. In altero autem, a conventu Tarraconensi posito, nomen plenum inscriptum est. Quid vero *præfectus cohortis novæ tironum* significet, non evidens est; hoc tamen quod de ea re nobis videtur exponemus; nihil vero affirmamus. Fieri potuit ut cohors cui præfectus oræ mariti-

1. N. 1, 2 (a), 3. — 2. N. 2 (b). — 3. N. 4.
4. N. 5. — 5. N. 6. — 6. N. 7.
7. Similiter idem vir flamen Romæ et Augusti dicitur in n. 2 (a), recte in n° 2 (b) flamen Augusti, quod non decet.
8. De ista appellatione *Lætanæ* cf. *Hermes*, I. p. 340, et Strab. 3, 4, 7.
9. N. 1 et 3.

mæ prius præerat, nescio quo rerum concursu, impar facta sit protegendo efficienter littori; et necessarium fuerit cohortem alteram deligere, ex tironibus conflatam, quæ alteri subsidiaria esset. Ita explicaretur id nomen : *cohors nova tironum*. Ejus regimen præfecto oræ maritimæ creditum fuisse consentaneum est. — Inde quoque explanantur duo nomina quæ restant; quippe in priore : *præf. cohortis I et oræ maritimæ*, notam *II* cecidisse verisimillimum est et legendum esse : *cohortis I et II oræ maritimæ*, quod nomen idem est ac *præfectus oræ maritumæ cohortis I et II*, quod in n. 7 legitur.

Si ea quam protulimus conjectura non est rejicienda, altera harum duarum cohortium eadem erat ac *cohors nova tironum*.

Verum ergo nomen ejus præfecti videtur fuisse : *præfectus oræ maritimæ*, quod ad amplificandum additum est interdum *præfectus cohortis I et II*.

Quæ militia tuendo littori præposita erat ; ex eo autem quod unus ex iis titulis positus est a conventu Tarraconensi [1], et alter a quodam Barcinonensi [2] cive, sequitur ei commissum fuisse ut omnem oram conventus Tarraconensis defenderet [3]. Omnibus notum est eam regionem Africanorum præsertim piratarum incursionibus fuisse obnoxiam [4].

Stativa castra Tarracone eæ cohortes habebant, ut ex iis omnibus inscriptionibus constat.

Simili præsidio non omnino carebant ceteræ Hispaniæ partes. Cordubæ enim conventus, Cæsaris tempore, duas colonicas cohortes habebat [5], et imperatorum ætate ibidem, cohors maritima reperitur cujus tribunus semel in inscriptione memoratur.

1. N. 4.
2. N. 6.
3. Cf. Hübner, *Hermes* I, p. 123 et Jung. *Die Militär-verhältnisse, etc.*, p. 675 sq.
4. Hübner, *l. c.*
5. *B. C.* 2, 19. Cohortes duas quæ colonicæ appellabantur, quum eo venissent, tuendi oppidi causa apud se retinuit.

C. I. L. II. 2224.

L · IVLIO · M · F Q · NEP
GAL · GALLO
MVMMIANO · TRIB
MILITVM · COH · MARITIMAE
II VIRO · C · C · P · FLAMINI
DIVOR · AVG · PROVINC
BAETICAE
HVIC · ORDO · C · C · P · STATVAM
EQVESTREM · DECREVIT
AELIA · FLAVIANA · VXOR
HONORE · VSA · IMPENSAM
REMISIT

L. Julio, M. f(ilio), Q. nep(oti), Gal(eria tribu), Gallo Mummiano, trib(uno) militum coh(ortis) maritimæ, II viro c(olonorum) c(oloniæ) P(atriciæ), flamini Divor(um) Aug(ustorum) provinc(iæ) Bæticæ; huic ordo c(olonorum) c(oloniæ) P(atriciæ) statuam equestrem decrevit Aelia Flaviana uxor, honore usa, impensam remisit.

E nominibus Aeliæ Flavianæ sequitur hanc inscriptionem ad medium secundum sæculum et forsan ad ætatem posteriorem pertinere. Vix opus est notare hic eosdem honores memorari atque in prioribus titulis et fere omnino similem esse hanc inscriptionem ei quæ n. 1 inscribitur.

Denique Castulone ejusdem generis militia videtur exstitisse, si mutilæ huic inscriptioni fidem adhibere decet.

C. I. L. II. 3272.

*Q. Cor*NELIO · M · F · GAL · VALERIANO · PRA*ef. alae*...
.... PRAEF · VEXILLARIORVM · IN · TRACHIA XV *a leg*.....
*V. Mace*DONICA · A · LEG · VIII · AVGVSTA · A · TRIBVNIS · LA*ticlavis et*
*minor*IBVS · A · PRAEF · CHORTIVM · STATVIS · CORONIS *donato*
...... LONEN · ET · CHORTIS · SERVIAE · IVVENALIS... *et*
*Titia*E · L · F · OPTATAE · VXORI · HVIC COLONIA PATRI*cia*

[Q. Cor]nelio, M. f(ilio), Gal(eria tribu), Valeriano, pra[ef(ecto) alæ....], præf(ecto) vexillariorum in Trachia XV, [a leg(ione)..... V Mace]donica, a leg(ione) VIII Augusta, a tribunis la[ticlavi(i)s et

minor]ibus, a præf(ecto) c(o)hortium, statuis, coronis [donato]..... [Castu]lonen(sium) et c(o)hortis Serviæ Juvenalis..... [et Titia]e, L. f(iliæ), Optatæ, uxori ; huic colonia Patri(cia).....

Addit audem doctus Hübner (v. 5): « Indicatur fortasse militia aut provincialis, aut municipalis [Castu]lonen(sium) ; cohors Servia Juvenalis aliunde, quantum scio, non nota est. Nomina illa Castulonis fuisse Mommsenus conjecit in hujus capitis præfatione. »

Ita, ut rem contrahamus, in Hispania quædam peculiares militiæ nobis videntur exstitisse, quibus cura committebatur maritimam oram defendendi a Pyrenæis usque ad fretum Gaditanum.

CAPUT TERTIUM

De Irenarchis et Diogmitis.

In Asiaticis imperii Romani provinciis quoddam erat municipalium militiarum genus, quod omnino est notabile. Iis præerant viri qui *Irenarchæ*[1] nuncupabantur, id est, pacis custodes, quorum memoriam deprehendas non modo in nonnullis scriptorum locis, sed etiam in multis græcis inscriptionibus, quibus ad id institutum melius cognoscendum proficiemus[2].

1.

C. I. Gr. 4020.
Ancyræ.

Λ. Παπείριο]ν
'Α]λέξανδρον,
ἀρχιερέα καὶ
τὸ β' πρῶτον
ἄ]ρχοντα καὶ τὸ....
εἰρηνάρχην [τῆ
ς μητροπόλε[ω

1. De Irenarchis, cf. Birgerius Thorlacius, *Irenarchae pacificus Asiae magistratus* (in Prolusionibus et Opusc. Acad. Hauniæ 1815, 3 vol. in-8°) III, p. 69-86. — Kuhn, *Die städtische und bürgerliche Verfassung des Römischen Reichs*, I, p. 43, sqq. — Naudet, *la Police chez les Romains*. (Mém. de l'Acad. des sc. mor. et polit., VI (2ᵉ série), 1850, p. 819 sqq.—*Cod. Theod.*, 12, 14, et eo loco Gothofredi commentarium.

2. Eas grandibus litteris non transcribemus ; sunt enim quædam quas non nisi minutis litteris scriptas invenimus ; exempli gratia : Le Bas et Waddington n. 57 et 610. Satius ergo esse putavimus omnes minutis litteris proferre.

ς Ανκύρας [κ
αὶ διὰ βίου ἱε[ρ
έα τοῦ Διονυ[σί
ου. . . . .

2.

C. I. Gr. 4085.
ad Pessinunta.

Ἡ βο]υλὴ καὶ ὁ δῆμο[ς Σεβα]στηνῶν
Τολιστοβω[γί]ων Πεσσινουντίων ἐ[τείμη]σεν
Θεόδοτον, Θε[ο]δότου τοῦ Τυράννου, ἀσ[τυ-
νομήσ]αντα καὶ εἰρηναρχήσ[αν]τα ἐνδόξως
καὶ ἀγορ[ανο]μήσαντα πλειστά[κ]ις [ἐν
κατεπ]είγουσι καιροῖς..... κ. τ. λ.......

3.

Le Bas et Wadd. (*Voy. Arch.*, III, 1723ª.) = Μουσεῖον καὶ βιβλιοθήκη τῆς εὐαγγελικῆς σχολῆς II, p. 6. Emendatior est hæc descriptio. — Pergami, ubi etiam nunc exstat.

Ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος
ἐτίμησε
Τι. Κλαυδίον Οὐέτερα,
τὸν πρύτανιν καὶ κτίστη[ν
τοῦ ἀλειπτηρίου, τοῦ ἐ[ν τῷ
τῶν νέων γυμνασίῳ,
καὶ δίς στρατηγὸν καὶ τρὶς
εἰρηνάρχην καὶ ἀγορανό-
μον καὶ ἱερονόμον καὶ τα-
μίαν τῶν τῆς πόλεως χρη-
μάτων κα[ὶ] φίλον πάντων,
ἀρετῆς ἕ[ν]εκα καὶ τῆς
εἰς τὴν π[α]τρίδα εὐνοίας.

4.

Le Bas et Wadd. (*Voy. Arch.*, III, 57.)
Erythris.

Τ. Φλ. Αὐρή. Ἀλέξανδρον, τὸν ἐκ προγόνων καὶ ἀπὸ παιδὸς ἡλικίας λιτουργὸν, τὸν μιμαντοβάτην καὶ ἱερέα Θεοῦ Ἀλεξάνδρου καὶ ἀγωνοθέτην τῶν Διονυσίω[ν], τὸν καὶ αὐτὸν ἱερέα τῆς Ἰωνίας, ἀγορανόμον, βούλαρχον, σειτώνην τὸ β', εἰρήναρχον, Φλαβία Αὐρ. Πῶλλα καὶ Φλαβία Αὐρ. Τροφαίνα, αἱ θυγατέρες, τὸν ἑαυτῶν γλυκύτατον πατέρα, υἱὸν ἀγωνοθέτου καὶ τετράκις ἀγωνοθέτην.

5.

Le Bas et Wadd. (*Voy. Arch.*, III, 58.) = Kaibel. *Epigrammata græca*, 1075.
Erythris.

Ἀγαθῇ Τύχῃ.
Νύμφαις Ναιάσιν ἀγα[λ]λόμενος ἔνθα Σιβύλλης,
εἰρήνης ἄρξας Εὐτυχιανὸς τὸ πάροιθε,
δαπάναις ἑτοίμοις, ἀγορανόμος φιλότειμος,
ἄμφω δ' εὐψύχως σὺν Εὐτυχιανῷ παιδὶ πανηγυριάρχῃ,
ἐκ προσόδων ἰδίων τῇ πατρίδι τὸ ὕδωρ,
φαιδρύνεν τε γραφαῖς ἐπικοσμήσας τὸ αὖλι[εῖον
μνημόσυνον τ[οῦτο] τοῖσιν [ἐπεσσομένοις.

6.

C. I. Gr. 3496.
Thyatiræ.

. . . . αν Κρ[άτων]ος? ἄνδρα
[καλὸ]ν καὶ [ἀγαθὸ]ν καὶ φιλόπα[τριν, εἰρη]ναρ-
χήσαντα ἐπ[ισή]μως καὶ ἀγορανομήσαν[τα λ
αμπρῶς καὶ φιλο[δ]ό[ξ]ως. ...... άσαντα καὶ
σ[τ]ρ[α]τηγή[σα]ντα [καλ]ῶς καὶ ἐπιμελῶς,
δεκα[π]ρω[τ]εύσαντα καὶ πάσα[ι]ς [τ]αῖς [λ]οιπαῖς
τῆς [πάτριδος ὑπηρεσίαις χρηστὸν vel simile

ἀναστησά]ν[τω]ν τ[ὴ]ν [τ]ει[μὴν] τῶν
βα[φέ]ων ἐκ τῶν [ἰδ]ί[ω]ν, ἐπιμελ[ηθέντ]ος
Απολλωνίου τοῦ Απολλων[ί]ου.

7.

C. I. Gr. 3151.
Smyrnæ.

Hunc titulum omnino mutilum integrum non referemus; hæc tantum transcribemus.

v. 8. καὶ οἱ συνάρξα[ντες αὐ]τῷ ταμίαι Διονύσος γ', Μ. Μηνοδ[ώ]ρου του Μάρκου [στρατη]γὸ[ς] ἐπὶ τῆς εἰρήνης,[1] Τι. Κλ. Ἀσκληπιάδης, Τ. Φλ. Παρορ...., Τ. Φλ. Μητροβιανὸς, Τι. Κλ. Πάνκαρπος, Μ. Αντ. Καππάδ[οξ] β' τοῦ Φιλήμονος, κ.τ.λ...

8.

Μουσ. τῆς εὐαγγ. σχ, III, p. 26.
Smyrnæ.

. . . .
εἰρηναρ[χήσα]ντα
καὶ πρυτανεύσαντα
καὶ ταμιεύσαντα
καὶ ἀγορανομήσαντα
ἐνδόξως
Κλ. Μαρκιανὸς
τ]ὸν ἴδιον θρέψαντα

9.

C. I. Gr. 2768.
Aphrodisiade.

. . . .
τοῦ Απολλωνίου

1. Ut nos docet Boeck, στρατηγὸν ἐπὶ τῆς εἰρήνης eumdem esse credimus ac εἰρηνάρχην; non tamen ab omnibus id probatur. Cf. *Annali*. 1852, p. 119, not. 1; jam reperimus et rursus infra reperiemus quemdam irenarcham dictum εἰρήνης ἄρξοντα.

Ζήναν, γενόμενον
νεοποιὸν δὶς τῆς
Θεοῦ Ἀφροδείτης, ἄ[ρ-
ξαντα καὶ τὴν πρώ-
την ἀρχὴν ἐ[ν]δόξως
καὶ εἰρηναρχήσαντα
καὶ τὰς λοιπὰς λιτουρ-
γίας φιλοτείμως ἐκ-
τελέσαντα καὶ πα-
ρασχόντα ἑαυτὸν
χρήσιμον τῇ πατρί-
δι καὶ εἰ[ς σ]υνδικίας
δημοσίων πραγμά-
των·
τὴν δὲ ἀνάστασιν
τοῦ ἀνδριάντος [ἐ
ποιήσατο Αὐρηλία
Ἀμαζονὶς, ἡ γυνὰ
αὐτοῦ, παρ' ἑαυτῆς.

10.

C. I. Gr. 2882.
Mileti.

Hujus inscriptionis descriptio minutis litteris scripta in Corpore inscriptionum græcarum, mendosa videtur; hanc non transcribemus; memorandi autem sunt tres versus.

v. 5. ἀγορανόμος, εἰρήναρχος, βουλαρχήσας ἐνδόξως, σιτώνη[ς, ἀγωνοθέτης τῶν μεγάλων Πυθίων Πανιωνίων, τέλιος λείτουργος, εἰρήναρχος, Αὐρ. Ἀκύδου ἀρχιπρυτάνιδος, κ.τ.λ.

11.

C. I. Gr. 2929.
Trallibus.

Μ. Νώνιον Εὐτύχη
τὸν ἀξιολογότατον
γραμματέα
βουλῆς, δήμου,

σειτωνήσαντα, εἰρηναρχή-
σαντα, στρατηγήσαντα.
(sic) δεκαπροτεύσαντα καὶ
δι' ὅλου τοῦ ἔτους πρῶτον
καὶ μόνον φιλοτείμως
ἀγορανομήσαντα
καὶ θέντα ἔλαιον
ἡμέρας πέντε
ἡ λαμπροτάτη Καισαρέων
Τραλλιάνων πόλις
ἐκ τῶν ἰδίων προςόδων,
προνοησαμένων [τῆς αναστά-
σεως τῆς τιμῆς Μ. Αὐρ. Λητοΐδου
Ἰουλιανοῦ, χρυσοφόρου καὶ
Μ. Αὐρ. Τροφίμου, γραμματέως.

12.

C. I. Gr. 2930[b]. = Le Bas et Wadd. (*Voy. Arch.* III. 610.)
Trallibus.

Ἡ β[ο]υλὴ καὶ ὁ δῆ[μ]ο[ς ἐτεί]μησεν Μ. Αὐ[ρ. Εὐ]άρεστον
βουλαρχήσαντα, ἀγορανομήσαντα, εἰρηναρ[χ]ήσαντα,
στ[ρα]τηγήσαντα, δεκαπρωτε[ύσ]αντα, ἀγωνοθε[τήσ]αντα,
ἀποδόντα τῇ κρατίστῃ βουλῇ [σε]σ[τερτίων] νόμων.....
ἐν τῇ γενεθλίῳ ἡμ[έ]ρᾳ, ἥτις ἐστὶν μ[ηνὸς] Περειτίου
ὀ[γδόῃ]· προνοησαμένου τῆς ἀναστάσεως τοῦ ἀνδριάντος
Μ. Αὐρ. Σωτηρίχου, τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, βουλῆς, δήμου,
γερουσίας γραμματέως.

13.

Μουσ. τῆς εὐαγγ. σχ. I. p. 126.
Trallibus.

Το[ρκουᾶ]τον Κλαυδιανὸν, τὸν
στεφανηφόρον καὶ γραμματέα
τοῦ δήμου, βουλαρχήσαντα,
εἰρηναρχήσαντα, ἀγορανομ[ή

σαντα, σιτωνήσαντα ἀπὸ
Ἀλεξανδ]ρείας, δὶς χρυσοφ
ορήσαντα, [ἱε]ρὰ φυλάξαντα,
παν[ηγυρ]ιαρχήσαντα, ἀργυρο-
ταμιεύσαντα, δεκαπρωτεύσαντα,
γραμματεύσαντα καὶ τῆς φιλοσεβάστου
γερουσίας καὶ τῶν φιλοσεβάστων
νέων καὶ Ῥωμαίων, ὑποσχόμενον
καὶ εἰς τὴν ἀγορὰν κίονας εἴκοσι,
ἐπι]σκ[ευ]ά[σαν]τα δὲ καὶ μουσώσαντ[α
κα[ὶ] ταύτην τὴν ἐξ[έ]δραν ἀντ' οὐδενὸς
ἀν[αθ]έ[ν]τα καὶ τῇ Κλαυδίᾳ βουλῇ
. . . . ὥστε λαμβάνειν Κλ
. . . . ἐνθάδε ἕκαστον τοῦ
. . . . . . ἐνια]υτοῦ τ' ἡμέρα Χν,
. . . . τῆς αναστ]άσεως τῆς
. . . . Κλαυδίας βουλῆς
. . . . .Βάσσου Ρουκλύμου?

14.

Μουσ. τῆς εὐαγγ. σχ. II. p. 49.
Trallibus.

Βερενεικιανὸν, υ[ἱ
ὸν Μ. Κλαυδίου Νει-
κηράτου Κερεαλί-
ου, ἀσιάρχου, ἄνδρα
ἄγαθον, Πυθιονεί-
κην, χρυσοφορήσαντ[α
τῇ πατρίδι, στεφανη-
φορήσαντα, γραμματεύ-
σα]ντα, ἀγορανομήσαν-
τα], εἰρ[η]ναρχήσαντα, βου-
λα]ρχήσαντα καὶ ἐν σει-
τ]ωνίαις πολλαῖς καὶ ἑ-
τ]έραις ὑπηρεσίαις χρή-
σ]ιμον τῇ πατρίδι γε-
νόμενον.

15.

Le Bas et Wadd. (*Voy. Arch.* 1693, *b.*)
Colossis.

. . . . ν θεὰν [ε]ὐχὴν [Σεράπ]ιδι
ὁ δεῖνα... στρατηγήσας, ἀγορανομήσας,
. . . . . . ήσα]ς, βουλαρχήσας, γραμματεύ-
σας . . . . τ]αμιεύσας, ἐφηβαρχήσας, ε-
ἰρηναρχήσας,]νομοφυλακήσας, παραφυλάξας,
ἐπιμεληθεὶς τ]ῆς τοῦ ἐλ[α]ίου θέσεως, ἐργεπιστα-
τήσας, ἐπιμεληθεὶς χωρίων δημοσίων, ἀναθεὶς θε-
οῖς. . . . . ἀργυρᾶν, ἐκδικήσας καὶ ἐν σειτοδείᾳ πα-
ρασχὼν τὸν σεῖτον ἐπὶ τὸ εὐωνότερον καὶ ἐς κυριακὰς
. . . . ς καὶ συνθύσας τῷ δευτέρῳ να-
ῷ· ἐπιμεληθέντος τῆς ἀνα]στάσεως Ἡλιοδώρου
[τοῦ ἀδελφοῦ].

16.

C. I. Gr. 3831, *a*[4]. = Le Bas et Wadd. (*Voy. Arch.* II. 845.)
Æzanis.

Ἀγαθῇ τύχῃ. Ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος ἐτείμησεν Ἰουλιανὸν Τρύφωνος, νεωκόρον τοῦ Διὸς διὰ βίου, εἰρηναρχήσαντα καὶ ἀγορανομήσαντα καὶ στρατηγήσαντα καὶ χρεοφυλακήσαντα καὶ πάλιν στρατηγήσαντα τὸν πρῶτον τόπον καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς χρήσιμον ἑαυτὸν παρασχόντα τῇ πατρίδι.

17.

C. I. Gr. 3886.
Eumeniæ.

Ο δῆμος ἐτείμ[ησεν]. . . . . . Μόνιμον Ἀρίστων[ος, τὸν
ἀπὸ προγόν]ων λαμπαδαρχη[σάντων Διὸς] Σωτῆρος καὶ
Ἀπόλλ[ωνος καί Ἀρτέ]μι[δ]ος [καὶ] Ἀσκλη[πι]οῦ [καὶ
Μητρὸς] θεῶν Ἀνγδίστεω[ς, ἱερέα Ἀγαθοῦ] δαίμονος
καὶ ε[ὐ]σεβ[εστάτης Σε]βαστῆς Εἰρήνης, σ[τρατηγή-
σαντα] τῆς πόλεως τὸ ἕκτον, [γυμνασιαρχ]ήσαντα? καὶ
ἐ[γ]λογιστ[εύσαντα] καὶ ἀγορανομήσαντα [καὶ εἰρηναρ-
χήσαντα? [κ]αὶ παρὰ [πάντα τὸν χρόνον πολ]ιτευσ[ά-
μενον ἄριστα. . . . .

18.

C. I. Gr. 4341, *f.* = Kaibel. *Epig. græca.* 808.
Attaliæ.

Αὐρήλιος. . . . . .
Ὀρ]θαγόρας εἰρήν[ης] ἄρξας στήσατο βωμοὺς
Φοίβῳ καὶ κούρῃ Ἀρτέμιδ[ι] εἵνεκεν εὐχῆς,
μέτρον [στ]ή[σα]ς π[λ]η[σθ]είσα[ι]ς πηγαῖς ὑπὸ Νυμφῶν,
ἄμφω ὅπως ποταμὸς λαγόνων ῥεί[θ]ροι[ς ὑπ]ο[δ]εύοι.

Quod ad id tempus pertinet quo omnes hæ inscriptiones incisæ sunt, quum omnium certam ætatem definire non liceat, nonnullarum tamen, quantum proxime poterimus, conjectare nitemur :

N. 3. — Non ante posteriorem prioris sæculi partem incisa est.
N. 7. — Non ante Flavianam ætatem.
N. 4. — Non ante Antonianam ætatem.
N. 9. id.
N. 10. id.
N. 11. id.
N. 18. id.
N. 12. — Ad Antonianam ætatem pertinet[1].

Quamvis pauca admodum noverimus de eo tempore ad quod eas inscriptiones referre debemus, affirmare tamen inde possumus (quod aliquot scriptorum loci quos infra proferemus abunde demonstrant) irenarchas longe ante infimam imperii romani ætatem, ut quidam volunt[2], exstitisse. Non tamen deprehendere licet quando ii constituti fuerint ; irenarchiæ enim originem cum stationariorum origine cohæsisse, ut dic-

1. M. Aurelius Evarestus nummis Trallensibus qui sub M. Aurelio cusi sunt inscribitur. Cf. Mionnet. *Lydie*, n. 1079 et sqq.
2. Giraud. *Les Bronzes d'Osuna. Rem. nouvelles.* Paris, 1875, in-8°, p. 20 : « C'étaient les gendarmes du temps, qu'il ne faut pas confondre avec les *irenarchæ* d'une époque postérieure du Bas-Empire. »

tum est[1], nullo argumento probatur. Constat tamen sub Antoninis id institutum floruisse, cui ætati pleræque nostræ inscriptiones verisimiliter referendæ sunt.

Quam ob finem ii instituti fuerint et nomen ipsum et scriptorum testimonia declarant. Nempe ex omnibus manifestum est eos tuendæ regionis paci fuisse præpositos[2]. Ea est causa cur adversus christianos adhibiti fuerint, quod christiani publicæ quietis turbatores habebantur.

Non vero intra civitatis mœnia eorum potestas terminabatur, sed omne civitatis territorium eorum juris erat[3]. Quod inscriptionibus confirmatur : Trallibus enim non modo irenarcham fuisse novimus[4], sed et nyctostrategum[5] ; alteri ergo pax totius territorii tuenda, alteri interioris tantum civitatis, saltem noctu, credebatur.

Eorum duplex erat officium; primum enim latrones persequi debebant, iisque manum injicere; deinde, apprehensos interrogare de sociis et receptatoribus, et interrogationes litteris inclusas atque obsignatas ad cognitionem judicis mittere. Sæpius eos ipsi ad magistratum perducebant. Quum vero hic denuo interrogationem susciperet, oportebat irenarcha veniret et quod scripserat verum esse probaret; si diligenter ac fideliter rem egerat, laudabatur, sin parum prudenter aut maligne, vituperabatur, aut etiam pœnas dabat[6]. Forsan et, in tali casu, a munere abrogabatur.

1. Gothofred, *l. c.* — Birger, *o. c.*, p. 72.
2. *Dig.* 50, 4, 18, § 7. Irenarchæ quoque qui disciplinæ publicæ et corrigendis moribus (*vel* motibus) præficiuntur. *Cod. Just.*, 10, 75. Irenarchæ qui ad provinciarum tutelam quietis ac pacis, per singula territoria faciunt stare concordiam.
3. *Cod. Just.*, l. c.
4. N. 11, 12, 13, 14.
5. *C. I. Gr.* 2930. Cf. pag. 14
6. *Dig.*, 48, 3, 6. Caput mandatorum exstat, quo Divus Pius, quum provinciæ Asiæ præerat, sub edicto proposuit, ut Irenarchæ, cum apprehenderint latrones, interrogent eos de sociis et receptatoribus, et interrogationes litteris inclusas atque obsignatas ad cognitionem magistratus mittant. Igitur qui cum elogis mittuntur, ex integro audiendi sunt, etsi per litteras missi

Irenarchæ ergo summo provinciæ magistratui subjecti erant; non tamen publicum id munus erat, sed municipale. Arcadius enim Charisius id inter civilia munera annumerat[1], et in omnibus inscriptionibus quas retulimus irenarchia in medio cursu dignitatum municipalium memoratur; statum vero locum in eo cursu huic muneri attribuere non possumus; nam quam diligentissime titulos inter se contulimus et comperimus omnia officia quæ in iis reperiuntur nullo stato ordine numerari[2]. Fieri potest ut nihil certum de ea re constitutum fuerit. Irenarchas tamen novimus inter præstantissimos civitatis viros eligi solitos esse. Ita se res habebat : mittebantur quotannis (saltem M. Aurelii ætate) ad proconsulem Asiæ, ex urbibus singulis nomina decem primorum civium, quibus consideratis ille unum deligebat quem irenarcham constituebat. Hæc nos docet Aristides rhetor, qui ipse, sub M. Aurelio, irenarcha fuit[3].

fuerint, vel etiam per Irenarchas perducti. Sic et Divus Pius et alii principes rescripserunt, ut etiam de his qui requirendi annotati sunt, non quasi pro damnatis, sed quasi re integra quæratur si quis erit qui eum arguat. Et ideo quum quis ἀνάκρισιν faceret, juberi oportet venire Irenarchen et quod scripserit exsequi, et si diligenter ac fideliter hoc fecerit, conlaudandum eum; si parum prudenter, non exquisitis argumentis, simpliciter denotare : « Irenarchen minus retulisse ». Sed si quid maligne interrogasse, aut non dicta retulisse pro dictis eum compererit, ut vindicet in exemplum, ne quid et aliud postea tale facere moliatur.

1. *Dig.*, 50, 18, 7.
2. In n. 12, ita tituli ordinantur : Bularchus, Agoranomus, Irenarcha, Strategus; in n. 11, ita : Scriba senatus et populi, Frumentarius, Irenarcha, Strategus, Agoranomus; in n. 14, ita : Scriba, Agoranomus, Irenarcha, Bularchus.
3. Arist. Ἱερῶν λόγος δ' (Ed. Dindorff) I, p. 523. Ἐπέμπετο τοῖς ἡγεμόσι κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους ἀφ' ἑκάστης πόλεως, ἑκάστου ἔτους, ὀνόματα δέκα ἀνδρῶν τῶν πρώτων. Ταῦτα ἔδει σκεψάμενον τὸν ἡγεμόνα ἕνα ὃν προκρίνειεν ἐξ ἁπάντων καθιστάναι φύλακα τῆς εἰρήνης. Ἐκ δὴ πολίσματος τῆς Μυσίας, οὗ τοὔνομα οὐδὲν δέομαι λέγειν, ἀφικνεῖται παρ' αὐτὸν τὰ προχειρισθέντα ὀνόματα. Ὁ δ' οὐδέν πω τῶν ἐμῶν σαφῶς εἰδώς, ἀλλ' ἢ τοσοῦτον ἀκηκοὼς ὅτι κτήματα εἴη μοι περὶ τὸν τόπον τουτονὶ καὶ τὴν ἄλλην μοι δοκεῖν τάξιν ὅτι οὐ τῶν ἀφανῶν, παριδὼν καὶ ἀτιμάσας ἅπαντα τὰ πεμφθέντα ὀνόματα προὔκρινεν ἄρχειν ἐμέ. Neminem fugit decemprimos (δεκαπρωτοι) decem vetustissimos decuriones esse. Notabis tamen verbum δεκαπρωτεύσαντα in quatuor tantum ex iis inscriptionibus quas retulimus insertum esse (n. 6, 11, 12, 13), at in iis quæ ad M. Aurelii ætatem sunt referendæ.

Quæ vero deinde narrat non minoris momenti sunt. Quum ex Smyrna oppido decem primorum civium nomina ad summum magistratum essent delata, ille licet rhetorem nonnisi ex publico rumore nosset, nec quidquam rerum ejus sciret nisi quod agros in eo loco haberet, et ceterum non infimi esset generis, rejectis reliquis nominibus, Aristidem muneri destinavit, haud cogitans, ut ipse Aristides fatetur, huic rhetorem non plane idoneum esse. Ex eo loco concludi potest :

1° Hunc magistratum annuum fuisse ;

2° Simul civitatem et rem romanam, prudenti rerum temperatione, creandorum irenarcharum participes fuisse; altera enim decem primorum civium nomina præsidi proponebat, inter quos eligeret quem vellet, altera vero summum rei arbitrium retinebat ;

3° Præsidem potissimum deligere solitum eos quibus nonnihil opum esset, quod facile intelligitur.

Ita non modo civium suorum bona opinione sed etiam summi magistratus delectu irenarcha gloriari poterat, unde ei profecto major auctoritas et æstimatio suppetebat.

Quod si quis eo munere præclare functus erat, iterum aut etiam amplius ad irenarchiam promoveri poterat. Ex inscriptionibus enim novimus quemdam A. Papirium Alexandrum non semel irenarcham fuisse[1] et Ti. Claudium Vetera ter eam dignitatem adeptum esse[2].

Si contra officio suo defuerat, munere abrogabatur, nec istiusmodi exemplis caremus, quæ epistolæ Libanii sophistæ suppeditant. Unum[3] litteræ ad Modestum et Urbanum missæ, alterum[4] Firmino inscriptæ præbent. Habebat Elusa, Palæstinæ civitas, irenarcham quemdam Zenobium nomine, arctis amici-

1. N. 1.
2. N. 3.
3. *Ep.* 101. Ἠδίκηται δὲ οὑτοσὶ Ζηνόβιος, τῆς μὲν εἰρήνης ἐν Ἐλούσῃ προστὰς ἀκριβῶς, ἐκπεσών δὲ τῆς χώρας ὑπ' ἀνδρὸς εἰδότος τὰ τοιαῦτα ὠνεῖσθαι.
4. *Ep.* 446. Τοῦτον εὑρὼν τῆς εἰρήνης φύλακα, τὸν μὲν ἔπαυσας, ἑτέρῳ δὲ τὸ πρᾶγμα ἐπέτρεψας.

tiæ vinculis cum Libanio conjunctum. At quum dives non esset, nec potentioribus resistere valeret, loco suo est dejectus. Cujus partes rhetor tuetur. Alius quoque in eodem oppido irenarcha, similiter a Firmino, summo præside provinciæ[1]; remotus fuit[2].

Irenarchia videtur per omnes Asiæ provincias viguisse[3]; ejus enim instituti vestigia deprehendimus :

In Galatia. — Ancyræ[4].
Id. Pessinunte[5].
In Mysia. — Pergami[6].
In Lydia. — Erythris[7].
Id. Thyatiræ[8].
Id. Smyrnæ[9].
In Caria. — Aphrodisiade[10].
Id. Mileti[11].
Id. Trallibus[12].
In Phrygia. — Colossis[13].
Id. Æzanis[14].
Id. Eumeniæ[15].
In Pamphylia. — Attaliæ[16].
In Cilicia[17].

1. Eum summum provinciæ præsidem fuisse Birgerius concludit quod alteri id munus mandavisse fertur. Cui assentimur.
2. Cf. Birger, *o. c.*, p. 80.
3. Postremis imperii temporibus quoddam irenarcharum genus videtur exstitisse et in occidentalibus orbis romani partibus. S. August. *Ep.* 159. Illorum notoria, ad quos tuendæ publicæ pacis vigilantia pertinebat. *Ep.* 160... cura eorum, qui disciplinæ publicæ inserviunt.
4. N. 1. — 5. N. 2. — 6. N. 3.
7. N. 4, 5. — 8. N. 6.
9. N. 7, 8. — Aristid. *l. c.* — Ruinart. *Acta primorum martyrum.* Paris. 1689, in-4°, p. 30 et 31.
10. N. 9. — 11. N. 10. — 12. N. 11, 12, 13, 14.
13. N. 15. — 14. N. 16.
15. N. 17.
16. N. 18.
17. Amm. Marcell., 27, 9, 6. Reipsa non ibi irenarchæ mentio fit, sed diogmitarum qui irenarcharum milites erant.

In Syria. — Antiochiæ[1].

In Palæstina. — Elusæ[2].

Multum vero errant qui putant eos stationariis militibus præfuisse[3]. Primum enim non certum est stationarios etiam in Asia exstitisse ; deinde ut exstitissent, valde mirum foret militibus romanis magistratum municipalem præpositum fuisse ; denique cui militum generi præficerentur irenarchæ optime notum est.

Ii enim peculiari nomine diogmitæ (διωγμῖται) dicebantur[4] ; pedites erant qui, ut ex ipso verbo manifestum est, latrones et publicæ pacis turbatores persequi et deprehendere jubebantur. Quod scriptorum testimonio confirmatur ; eos enim reperimus aut adversus latrones adhibitos esse[5], aut ad arripiendos christianos[6].

His peditibus equites jungebantur, aut potius, ut nobis res videtur, diogmitarum duo genera erant, alterum pedestre, alterum equestre[7]. Quorum equitum magister semel memoratur in S. Pionii et sociorum martyrio[8].

Impendia quæ ad eam virorum manum alendam necessaria erant ex municipali ærario erogabantur[9]. Ea vero qua utebantur armatura erat simplex et rudis, ut decet esse non mi-

1. Liban. *Or.* πρὸς τὴν βουλήν, II, p. 530, 16. (Ed. Reiske).

2. Liban. *Epist.* 101 et 446.

3. Birger, *o. c.*, p. 73.

4. Le Bas et Wadd. *Voy. Arch.* III, n° 992. Cf. commentarium quod sequitur inscriptionem, et Kuhn, *o. c.*, p. 44.

5. Amm. Marcell. 27, 9, 6 et 7. Quos (latrones) quum nullis arcentibus internecive cuncta disperdere Asiæ vicarius ea tempestate Musonius animadvertisset..., deploratis novissime rebus, luxuque adjumento militari marcente, adhibitis semiermibus paucis quos diocmitas appellant..., per angustum quemdam transiens devexitatis anfractum, ad inevitabiles venit insidias et ibi cum his confossus est quos ducebat.

6. *Vit. Polycarp.* (Ed. Dressel), 7. Ἐξῆλθον διωγμῖται καὶ ἱππεῖς, μετὰ τῶ συνηθῶν αὐτοῖς ὅπλων, ὡς ἐπὶ λῃστὴν τρέχοντες. Cf. *Acta Sanct.* (Ed. Palmé) Januar. III, p. 321, § 5. — Symeo Metaphrast. *Vit. S. Athanasii*..... ζημία ζωῆς ὑφέξειν τοὺς διωγμίτας, εἰ μὴ τὸν Ἀθανάσιον ζῶντα παραστησῶσι.

7 *Vit. Polycarp.*, l. c.

8. *Acta. Sanct.* (Ed. Palmė). Februar. I, p. 45, E et F.

9. *Basilica* 56, 10. Τῶν λεγομένων ἀγωγικῶν, ἤτοι παραπομπικῶν, ἢ τῶν δα-

litum sed pacis custodum. Libanius enim eos κορυνηφόρους[1] nominat, et Ammianus Marcellinus semiermes dicit[2]. Infra videbimus M. Aurelium, quum diogmitis adversus Germanos usus est, coactum fuisse ut iis arma ministraret[3].

Permansit id institutum quantum et imperium romanum : namque irenarcharum mentio occurrit et in codice Theodosiano et in ipso Justiniano. Nonnulla de iis rescripta Theodosii Junioris exstant in quibus paululum morari necesse est. Primum, anno 409 datum est ad Anthemium, præfectum prætorio[4]. Hoc in loco jubet imperator « irenarcharum vocabula amputari » eorumque officium civitatum locupletioribus committi ; quod ita Gothofredus commentatur : « At munere ipso non ideo sublato, sed tantum hominum genere e quibus irenarchæ deinceps sumerentur, iisque qui nominandi eos jus haberent, immutatis ; vult scilicet Theodosius Junior ut deinceps præfectus prætorio, suscepta provinciarum defensione, pacis præsidium per civitatum territoria locupletioribus committat, eosque irenarchas constituat. Procul dubio, viles hactenus homines, paupertate ipsa ad rapacitatem proni, cinguloque militari tumidi, hoc munus obierant. »

Infra autem vidimus, secundo p. C. n. sæculo, irenarchas inter locupletes eligi a præside solitos esse.

Credendum est ergo id tertio obsolevisse, Theodosiumque pristinum institutum non mutavisse, at corruptum tantum in priorem statum restituisse. Quod confirmatur et secundo res-

πανωμένων περὶ τοὺς δημοσίους ὄνους ἢ ὀνηλάτας, ἢ τῶν διωγμητικῶν ἢ των ἄλλων, ἃ γενικῷ ὀνόματι καλεῖται *solemnia*.

1. Liban. *Or.* πρὸς τὴν βουλήν. (Ed. Reiske) II, p. 530, 16. Καὶ μένῃ παρὰ τοῖς εἰρηνοφύλαξιν ὁ τῶν κορυνηφόρων μισθὸς, τί μὲν οὐ λέγεται;

2. Amm. Marcell., *l. c.*

3. Capitol., *in M. Antonin.*, 21. Armavit et diocmitas.

4. *Cod. Theod.*, 12, 14. Hirenarcharum vocabula, quæ, adsimulata provincialium tutela, quietis ac pacis per singula territoria haud sinunt stari concordiam, radicitus amputanda sunt. Cesset igitur genus perniciosum reipublicæ; cesset rescriptorum hirenarchas circiter inconvulsa simplicitas; et Celsitudinis Tuæ sedes provinciarum defendenda suscipiat, pacis hujusmodi locupletioribus commissura præsidia.

cripto anno 420 dato quod « super Hirenarcho omnia antiqua consuetudine observanda » jubet[1]. Denique tertio, idem imperator vult irenarcharum electionem ipsa principis manu sanciri[2]. Sub Justiniano adhuc istud institutum vigebat; prior enim Theodosii lex in Justiniano codice interpolata est, sed in plane contrarium sensum detorta[3].

Juxta irenarchas citandi forsan quoque sunt *limenarchæ*, i. e. portuum custodes, quorum dignitas inter personalia civitatum munera annumerabatur[4].

1. *Cod. Theod.*, 10, 1, 17.
2. *Cod. Theod.*, 8, 7, 21 (an. 426). Nemo aliter ad Tuæ Sublimitatis admittatur officium, nisi eum emissa ex sacris scriniis probatoria consecravit... Hirenarchas quoque... non aliter nisi, ut consueverat, manus sancxerit principalis præcipiat (Tua Sublimitas) ordinari.
3. *Cod. Just.*, 10, 75.
4. *Dig.*, 50, 4, 18, § 10.

CAPUT QUARTUM

De Tribunis militum a populo.

Jam diu inter viros rerum romanarum studiosos quæsitum est quales fuerint ii qui in epigraphicis titulis *Tribuni militum a populo* nominati sunt. Longius vero sit omnes memorare qui rem tetigerunt et quæ cujusque fuerit sententia notare; quum præsertim id reperias in libro quem doctissimus Giraud de ea re scripsit[1]; de quo infra fusius loquemur. Satis erit observare non idem omnes sentire, at longe diversas exstitisse opiniones.

Alii quorum major numerus est, negant tribunos militum a populo municipales magistratus fuisse; eosdem enim illos habent ac eos tribunos qui Romæ, in comitiis, a populo designari solebant. Cujus sententiæ doctissimus et acerrimus defensor dudum exstitit jurisconsultus noster C. Giraud; rem enim non semel et voce et scriptis tractavit[2]. Assensi sunt eidem opinioni Germani et Marquardt[3], et Mommsen[4] qui jam antea eas partes susceperat[5].

Repugnat contra vir clarissimus Duruy qui, mentis insigni acumine ductus, verum de ea re perspexit; demonstrare ergo

1. *Les Bronzes d'Osuna. Rem. nouvelles*, p. 25 sqq.
2. *Acad. des insc. et belles-lettres* (19 fév., 5 mars, 19 mars et 24 mars 1875). — *Acad. des sciences mor. et polit. Comptes rendus.* (*Nouvelle série.*) Tome V (1876), p. 351 sqq., 539 sqq., 858 sqq.) *Journal des Savants* (1875), p. 244-265, 269-284, 333-349, 397-419, 557-596. — *Les Bronzes d'Osuna, Rem. nouvelles.*
3. *Staatsverw.* II, p. 354.
4. *Staatsrecht.* II, p. 261 (Ed. 1877) et præsertim, not. 6.
5. *Ib.* (Ed. 1874) II., p. 540-545.

haud frustra conatus est[1] tribunos militum a populo nihil aliud esse quam militiarum municipalium quosdam præfectos, et omnino differre cum tribunis militaribus a populo romano creatis. Nititur autem ea opinio Leonis Renier auctoritate, summi rerum epigraphicarum tractatoris, qui se ita sentire aperte declaravit[2].

Quos inter medium cursum tenet vir alius non minus celeber Naudet[3]: non enim, ut priores, tribunos militum a populo arbitratur tribunos fuisse in comitiis electos, at legionarios tamen, in colonia aut municipio natos *ab* ejusdem *populo* ortos. Quam ob causam in titulis *a populo* appellati fuerint, se perspicere putat; fuisse enim post bella civilia multos milites prædiis donatos, in varias Italiæ civitates missos qui veteribus municipibus adæquarentur; hos vero qui jamdudum ibidem habitarent, si ad honores romanæ reipublicæ virtute sua pervenissent, se a populo municipii aut coloniæ oriundos aliquoties declaravisse, ne novis istis et adventiciis incolis similes esse crederentur. Quod quidem ingeniosius nobis quam verius videtur, ut ex omnibus rebus quæ infra exponentur aperte apparebit. Eam vero opinionem notemus omnino, et apud Gallos[4], et apud Germanos[5] repudiatam fuisse.

Rem ergo aggredi et nos constituimus; ne vero illud renovemus quod dixit clarissimus Duruy, materiem epigraphice præsertim tractandam suscipiemus. Doctum ergo Giraud consequemur qui titulum quemque separatim perspexit, ut quæ vera nobis visa fuerint recipiamus, quæ falsa refellamus; at

1. *Mémoire sur les Tribuni militum a populo. Acad. des insc. et belles-lettres* (29 janv. 1875) et *Histoire des Romains*, V, p. 502 sqq.

2. *Acad. des insc. et belles-lettres* (29 janv. 1875). *Collège de France* (10 et 24 déc. 1878).

3. *Acad. des insc. et belles-lettres* (9 et 16 av. 1875). *Journal officiel* (15 et 20 av. 1875).

4. Giraud. *Les Bronzes d'Osuna*, p. 26.

5. Marquardt. *Staatsverw.* II, p. 554, not. 6 : « Es ist unzweifelhaft falsch, den *tribunus a populo* für ein Mann aus dem Volke zu erklären, wie merfach geschehen ist. »

quum idem antea pauca de historicis testimoniis et militari tribunatu generaliter præfatus fuerit, oportet ea primum inspiciamus.

Priscis rei romanæ temporibus, tribuni legionum a consulibus facti fuerant; at, paulatim plebe honores invadente, populi suffragio, ex parte creari cœperunt, ita ut in quatuor legiones, quoque anno conscriptas, ab anno 392 = 362 seni tribuni militum, ab anno 443 = 311 seni deni, ab anno 547 = 207 viceni quaterni populi suffragio fierent, ceteri vero a consulibus[1]. Qui tribuni Romæ, in comitiis creati, non semel ab auctoribus memorantur. Livius nempe in septem historiarum suarum locis de his loquitur, et quales fuerint eorum fortunæ vices annotat[2]. Sallustius vero Marium narrat, quum sibi aliquam famam in Africa, sub Q. Metello, jam peperisset, Romam rediisse qui tribunatum militarem a populo peteret[3]. Cato major, si fides Frontino adhibenda est, eumdem gessit tribunatum[4]. Item de C. Cæsare, testibus Suetonio[5] et Plutarcho[6].

1. Marquardt. *Staatsverw.* II, p. 353.

2. Lib. VII, 5. Et quum eo anno primum placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri, (nam et antea, sicut nunc, quos Rufulos vocant, imperatores ipsi faciebant) secundum in sex locis tenuit (T. Manlius, L. filius). — Id. 9. 30. Ut tribuni militum senideni in quatuor legiones a populo crearentur. — Id. 27, 36. Primis quatuor legionibus populus tribunos creavit, in ceteras consules miserunt. — Id. 28, 27. Quid populus romanus, quum imperium, ablatum ab tribunis suffragio populi creatis, ad homines privatos detulistis? — Id. 42, 31. Consules ex senatusconsulto ad populum tulerunt ne tribuni militum eo anno suffragiis crearentur. — Id. 43, 12. Tribunos his non permissum ut consules facerent; populus creavit. — Id. 44, 21. Senatus decrevit ut in octo legiones parem numerum tribunorum consules et populus crearent. Cf. Polyb., 6, 19, 7.

3. Sall. *Jug.* 63. Ergo ubi primum tribunatum militarem a populo petit..., facile notus, per omnes tribus declaratur.

4. Frontin. *Stratag.* 2, 4. Porcius Cato qui tum, jam consularis, tribunus militum a populo factus, in exercitu erat. Cf. Plut., *Cat.*, 8.

5. *Cæs.* 5. Tribunatu militum, qui primus Romam reverso per suffragia populi honor obtigit, auctores restituendæ tribuniciæ potestatis... enixissime juvit.

6. Plut. *Cæs.* 5. Τοῦ δὲ δήμου πρώτην μὲν ἀπόδειξιν τῆς πρὸς αὐτὸν εὐνοίας ἔλαβεν, ὅτε... ὑπὲρ χιλιαρχίας πρότερος ἀνηγορεύθη.

Denique ii tribuni a tribunis militum *Rufulis* dictis apte a Festo distincti fuerunt [1], cujus testimonium a Pseudo-Asconio confirmatur [2].

Ex iis omnibus locis colligi posse asserit Giraud, tribunos militum a populo, quos in titulis reperimus, eosdem esse ac tribunos militum a populo romano in comitiis designatos; quod et reipublicæ romanæ historiæ et verborum veræ significationi et præsertim titulorum testimoniis certisque epigraphicæ scientiæ legibus repugnare nobis videtur.

Infra ex cujusque tituli peculiari studio apparebit omnes qui, ad eam rem pertinentes, usque ad nostram ætatem pervenerunt primo a. C. n. sæculo, aut priore insequentis parte incisos esse, et ideo omnes tribunos militum a populo eum tribunatum primo a. C. n. sæculo verisimiliter gessisse. Eo vero tempore maxime dubium est an adhuc Romæ per populum tribuni militum crearentur. Gravis de ea re contentio orta est inter Giraud et Duruy. Prior enim affirmat, quamvis bellum civile fureret, et omnia in Italia et in Urbe miscerentur, tamen tribunos militum, ut ante, fuisse constanter factos, et comitia sine ullo impedimento habita [3]; advenisse vero ut, in tanta rerum perturbatione, tituli solum, non vera munera decernerentur, ita ut plerumque, exacto anno, tribuni isti qui otiosi domi permansissent, titulum honorarium, ut verba doctissimi Orelli usur-

1. Festi *fragm.* (Ed. Müller), p. 260. Rufuli appellabantur tribuni militum a consule facti, non a populo; de quorum jure quod Rutilius Rufus legem tulerat, Rufuli sunt vocati.

2. *Ad Cic. in Verr. act.* 1, 10, 30. (II, 142. Ed. Orelli). Tribunorum militarium duo genera : primum eorum qui Rufuli dicuntur : hi in exercitu creari solent : alii sunt comitiati, qui Romæ comitiis designantur.

3. Giraud, *o. c.* p. 33 et 34. Quelle a été pendant cette époque et depuis, la destinée du tribunat militaire électif? Il est difficile de le dire avec précision; mais, de même qu'avaient lieu les élections des autres magistratures, de même devaient avoir lieu celles des tribuns militaires des *quatuor primæ*. Ces dernières élections suivaient les premières, selon l'usage; elles se pratiquaient sous la même influence politique, *sans aucun embarras*, et par des listes arrêtées dans les partis dominants.

pem [1], non tribunatum reipsa adepti essent [2]. Ita, quoque anno, magistratus Romæ creabantur qui nullum magistratum gererent [3].

Arbitratur autem doctus Duruy eo tempore quo, discordantibus omnibus, « nulla jam publica arma » [4] essent, illos duces qui exercitibus præessent, populi nullam rationem habuisse, et ideo, nec extremis liberæ reipublicæ temporibus, nec sub Augusto principe, ullum tribunum militarem a populo fuisse designatum [5].

Ut ergo rem breviter contraham, utraque sententia e propria summorum virorum opinione oritur, non e certo documentorum testimonio. Silent enim de ea re auctores. Ultimum de tribunis militaribus a populo designatis agitur apud Ciceronem anno 684=70 [6], nec postea ullum documentum proferre queas [7]. Quando ergo id institutum obsoleverit incertum est, et ipse dijudicabis.

Id vero ad rem nihil pertinere putamus, nempe omnino diversos esse tribunos militum a populo nunc probandum est.

Imperatorum ætate, legionis numerum vocibus *tribunus militum* adjungere mos erat; exempli gratia : *trib. mil. leg. III Aug.* aut. *leg. VI Vict*, etc. Tempore vero liberæ reipublicæ *trib. mil.* plerumque, sine ullo additamento reperias; ut in titulis L. Cornelii, L. f. P. n. Scipionis [8], C. Papirii. C. f. Clu. Carbo-

1. Or. 3439.

2. Cf. Mommsen. *Staatsrecht*, II, p. 261. (Ed. 1877). — Marquardt. *Staatsverw*, II, p. 354. Nullum vero aliud documentum afferunt quo opinionem defendant præter titulos eorum *tribunorum militum a populo* de quibus hic agitur.

3. Cf. Giraud, *o. c.*, p. 33-38.

4. Tac. *Ann.* 1, 12. — 5. Duruy. *Hist. des Rom.* V, p. 511.

6. Cic. *in Verr.* Act. I, 10, 30. Tres hi homines veteres tribuni militares sunt designati. — De eo Ciceronis loco (*ad Att.* 13, 33, 3) qui a Giraud laudatur (*o. c.* p. 33, not. 5), nullum argumentum depromi posse nobis videtur.

7. Quod ait Livius (7, 5): « Nam antea, sicut nunc quos Rufulos vocant, imperatores ipsi faciebant, » ambiguum est, et in utramque partem, nostro quidem sensu, interpretari possis.

8. Wilmanns, 541.

nis[1], A. Castricii Myrionis Talenti filii[2], L. Statilii L. f. Aem. Sulpiciani[3] aliorumque, inter quos nullum a populo fuisse factum saltem mirum videri possit[4]. Si quis vero tribunatum militarem a senatu aut a quovis imperatore adeptus fuerat, id titulis inserere mos non erat ; quippe unum tantum certum exemplum ejus rei nobis traditum est; hic autem titulus Augusto mortuo incisus est[5]. Ex duobus qui a Giraud laudati sunt[6], alter dubius[7], alter, ut ipse fatetur, omnino aliter est interpretandus[8].

Inde sequitur ut, in titulis, nullum discrimen habitum fuerit inter Rufulos tribunos et eos qui populi suffragio designabantur.

Hæc quoque notanda sunt :

1° Nullum ex iis tribunis militum a populo usque ad quæsturam romanam processisse et ad primum honorum gradum constitisse[9].

1. Wilm. 1109 (ante ann. 734=20 hic titulus positus est).
2. Id. 1603 (eadem ætate positus).
3. Id. 1606. Pater is est L. Statilii Tauri, cos a. 717=37 et a. 728=26.
4. Ex elogiorum fragmentis, quæ ad nos pervenerunt, præsertim e C. Marii titulis argumentum sumi periculosum sit; ut optime a Giraud demonstratum est, *o. c.*, p. 32 et 33. Probavit enim Mommsen (*C. I, L.* I, p. 281 sqq.) ea primum ab Augusto in foro dedicata, deinde per municipia fuisse repetita. Fieri potest ut ii quibus ab Augusto aut a municipalibus decurionibus ejus rei cura permissa est, voces *a populo* consilio omiserint (si Augustum suspiceris omnes tribunos militum creandos suscepisse), ne amissæ libertatis memoria continuo ante oculos revocaretur.
5. *C. I. L.* II, 3852... Fulvio, L. f(ilio), Lessoni, trib(uno) mil(itum) Divi Aug(usti).......... Inde certe nihil in universum, ne ad imperatorum ætatem quidem, nedum ad tempus liberæ reipublicæ, est concludendum.
6. *O. c.*, p. 37 et 68.
7. Hæc enim scripsit Giraud (*o. c.* p. 68). « On nous communique une autre inscription *inédite et tronquée*, recueillie à St-Alban, près Chambéry, *où l'on déchiffre encore* : SEX. DECII. TRIB. MILITV. |AB. CÆSARE. | IIII. VIR. FLAM. » Hic vero titulus Leoni Renier ignotus est. Quicumque rei epigraphicæ curam dederunt, noverunt quam caute fides titulo novo sit adhibenda, quum nec versuum dispositio notatur, nec certa descriptio profertur. Hic vero, qualis editus est, non genuinum olet.
8. *C. I. L.* III, 3472 et 3272.
9. Id non mirum esse dictum est, quod, ea ætate, nondum omnium honorum cursus titulis inscribi soleret. Aptissime huic rei noster Duruy repugnat (*l. c.*, p. 508). His titulis municipalium honorum omnis cursus inscriptus est; cur non et romanorum?

2° Omnes nostros titulos extra urbem effossos esse, nullum autem Romæ, ubi plures tribunos militum a populo creatos reperiri consentaneum est.

3° Hunc tribunatum verisimiliter decretum fuisse potius viris quos populi suffragiis, aut propria virtus, aut majorum nomen commendaret ; omnes autem, quorum memoriam tenemus, tribunos militum a populo ignotos prorsus homines esse.

4° Eosdem in aliquot tantum municipiis inventos nec amplissimis. Imo, Pompeiis, non longo temporis spatio, quatuor tribunos militum a populo exstitisse comperimus; Neapoli vero, aut Puteolis, aut Tarenti ne unum quidem. Quæ omnia prorsus mirabilia esse nemo non confitebitur.

Ad gravissimum vero argumentum jam ventum est; quod ex verborum significatione et epigraphicæ scientiæ legibus ducendum est. In iis enim locis auctorum quos supra memoravimus, quidam notaverunt, inter quos Giraud[1], ferme eamdem verborum structuram observari atque in titulis; eosque illorum ope explanare tentaverunt[2]. Quod fieri posse negant Duruy et Naudet, iisque omnino assentimur.

Verum est enim verbum *populus* sæpe in iis locis occurrere, aliquando etiam *a populo;* unde maximum argumentum sumitur a Giraud. Si vero rem attentius perspexeris, illum vana quadam specie deceptum fuisse comperies. Quippe in omnibus quas transcripsimus sententiis, *a populo* semper alicui verbo conjungitur, sive passivo ut *creari*[3] aut *fieri*[4], sive activo, ut *petere*[5]; a quibus sejungere voces *a populo* non possis,

1. *O. c.*, p. 28 sqq.
2. *Ib.*, p. 30. L'*a populo* de l'épigraphie n'est donc autre que l'*a populo* de l'histoire et de la grammaire latine, contracté seulement en style lapidaire.
3. Liv. 9, 30.
4. Frontin. *Stratag.* 2, 4. Fest. *fragm.*, p. 260. (Ed Müller.)
5. Sall. *Jug.* 63.

ita ut si eorum verborum formam mutaveris necesse est locutio *a populo* evanescat[1].

Imo duplicem esse vocis *populus* significationem notandum est : apud auctores enim qui rei romanæ historiam narrant, *populus* populum romanum indicat, ut in his Livii aut Sallustii sententiis; quod nemini dubium esse potest et vel veteribus liquebat. In iis vero titulis qui a civibus municipii aut coloniæ positi fuerunt, *populus* pro populo coloniæ aut municipii habendus est; cujus rei innumerabilia exempla proferre facillimum est[2]. Quoties vero de populo romano agitur, curaverunt qui titulum posuerunt vocem *romanus* addere, ne ambigua res foret[3]. Inde sequitur (quum tribunus militum a populo nullus Romæ occurrat, at omnes in municipalibus civitatibus exstiterint) ut vox *a populo* significet *a populo municipii aut coloniæ*, nec ullo modo *a populo romano* explicari queat.

Quid vero *tribunus militum a populo* significet, quærendum. Recte contendit doctus Giraud eam explicationem rejiciendam esse qua hi tribuni a populo municipii electi dicerentur, quippe quæ rebus repugnet[4]. Inter inscriptiones enim parietarias quæ Pompeianarum ædium muris pictæ repertæ fuerunt, multa magistratuum programmata exstant, in quibus omnium honorum et munerum memoria occurrit præter tribunorum mili-

1. Mommsen et Marquardt (*l. c.*, not. 6) annotant simile exemplum ex titulo (Wilmanns, 1625) depromi posse: [L.] Minicius, L. f(ilius), Ouf(entina tribu), Exoratus, flam(en) Divi Titi Aug(usti) Vespasiani, consensu decur(ionum), tr(ibunus) mil(itum), IIII vir a(edilicia) p(otestate), II (lege IIII) vir j(ure) d(icundo), præf(ectus) fabr(um) a pr(ætore) bis et co(n)s(ularis), pontifex, etc. Quibus respondere licet. 1° Titulum hunc ad exempla antiqua tantum editum non omni menda immunem esse, quippe *II vir* pro *IIII vir*, et *a pr.* juxta *cos.* invenias; posse ergo conjici aut *a* non recte additum esse aut *adl(ectus)* cecidisse. — 2° Si id repudies, *a prætore* pro *a prætore adlectus* explanari posse ex aliorum titulorum comparatione in quibus *adlectus* exprimitur (Wilmanns, 1281); non item de *trib. mil. a populo*.

2. Cf., exempli gratia, Wilmanns, 1864, 1949, 1950, 2039, 2040, 2051, 2216, 2224, etc.

3. Cf. Wilmanns, 290, (not. 2.), 750, 2141, etc.

4. Giraud, *o. c.*, p. 70.

tum a populo memoriam[1]. Et tamen, ut ex iis quos infra afferemus titulis apparebit, hac in civitate ejusmodi tribunos exstitisse constat. Igitur si a civibus creari soliti essent, profecto aliquod ejus rei vestigium teneremus; nusquam vero vel minimum deprehendas. Rei ergo omnino diversa enodatio est conquirenda quam nobis grammaticorum doctrina suppeditabit.

Participium quodvis ad istiusmodi locutiones explanandas supplere, non modo inutile est, sed etiam veræ methodo repugnat. Quippe satius est quærere quæ sit ablativi præpositioni *ab* conjuncti vis propria; quam facile perspicias. « Vera præpositionis *ab* ratio est ut id significet a quo proficiscitur aliquid, ad quod tanquam ad originem, caput, fontem, aliquid pertinet[2]. »

Ita clarescunt nonnulli auctorum loci in quibus nomen quoddam conjungitur alteri præpositione *ab*. Apud Plautum enim legitur[3] :

Quemque a milite hoc videritis hominem in nostris tegulis,
Extra unum Palæstrionem, huc deturbatote in viam;

Homo a milite, id est homo ad possessionem, familiam hujus militis pertinens, ab hoc milite quasi originem ducens. Ita quidem interpretatores explicaverunt[4].

Eadem ratione nonnulli alii loci sunt explanandi : in hoc Lucretii versu[5] :

Neque fulgorem reverentur ab auro,

1. Cf. *C. I. L.* IV. (Indices).

2. Forcellini *Lexic.*, verbo *a*. Cf. Holtze, *Syntaxis priscorum scriptorum latinorum*. Leipzig, 1861, in-8°, 2 vol. Quem potissimum eleginius quod ex ea ætate exempla sumpsit qua tituli nostri incisi sunt. « Ablativus principii exprimit locum unde actio proficiscitur, quo pertinent.... ablativi cum præpositione *ab*...., si significationem habent vere localem proficiscendi. » (p. 36 et 37).

3. *Mil. glorios.*, 160.

4. J. Brix. *Mil. glorios. erklärt* Leipzig, 1875, in-8°, et Holtze (*o.* c.). p. 42. « In hoc exemplo, ut Kampmanni utar verbis, *ab* conjungitur cum notionibus possessionis unde quid... depromptum est. »

5. *De R. N.*, II, 51.

fulgorem intellige cujus aurum fons est et principium, qui inde profiscitur. In his Virgilii locis:

Nostris ab ovilibus imbuet agnus[1],

et

Dulces ab fontibus undæ[2],

interpretandum est: agnus ex ovilibus depromptus, undæ e fontibus haustæ, ex illis quasi originem trahentes, ad illas pertinentes ; ita ut his omnibus in locis præpositio *ab*, ablativo conjuncta, originem suapte vi significet, non sine possessionis occulta quadam notione.

Quum ergo res ita se habeat, si locutionem *a populo* jungimus non voci *tribunus*, sed voci *militum*, omnia liquebunt. *Milites a populo* significat milites qui ad possessionem populi pertinent et ab eo principium et originem ducunt; id est milites qui pars sunt ejus populi et ab eo depromuntur. Inde constat *tribunos militum a populo*, tribunos esse municipalis militiæ, nempe civium militari munere fungentium, non ab iis electos, sed iis præfectos[3].

Concludamus ergo fuisse in quibusdam Italiæ civitatibus magistratus militares qui armatis municipibus præessent. Res vero obscura foret et valde mira, nisi dudum illustrata fuisset legis cujusdam fragmento, in Hispania reperto, quod omnibus rerum romanarum studiosis pernotum est. Post pugnam apud Mundam et Pompeianorum cladem, civitates hispanas quæ hostium partibus faverant propriis agris Cæsar privavit, et ita publicatos colonis dispertivit, quos aut ex Italia, aut aliunde arcessivit. Quod evenit Ursonis, vel Ursavonis (hodie Osuna) civibus, quorum ager novis colonis assignatus est. Ea est colo-

1. *Buc.*, I, 8.
2. *Georg.*, II, 243.
3. Notum est sæpius in inscriptionibus duo nomina occurrere quorum posterior præpositione ab conjungitur cum priore. Ex : magister a libellis (Wilmanns, 1289) ; procurator ab alimentis (Wilmanns, 2297). Sæpius autem genitivum reperias. Ex : magister libellorum (Wilmanns, 1223), procurator alimentorum (Wilmanns, 1280).

niæ Juliæ Genetivæ origo cujus legem, saltem partim, tenemus[1].

Cujus legis caput centesimum tertium hoc est :

Quicumque in col(onia) Genet(iva) duumvir praef(ectus)ve j(uri d(icundo) præerit, [cum] colon(os) incolasque contributos, quocumque tempore, colo(niæ) fin(ium) [tu]endorum causa, armatos educere decurion(es) cen(suerint), quot m(ajor) p(ars) qui tum aderunt decreverint, it e(i) s(ine) f(raude s(ua) f(acere) l(iceto). [Ei]que duumvir(o) aut [q]uem duumvir armatis præfecerit, idem jus eademque anim[a]dversio esto, uti *tr(ibuno) mil(itum) p(opuli) R(omani)* in exercitu p(opuli) R(omani) est, itque e(i) s(ine(f(raude) s(ua) f(acere) l(iceto), j(us) p(otestasque) e(sto), dum it quot m(ajor) p(ars) decurionum decreverit, qui tum aderunt, fiat[2].

Id vero institutum quod ex hac legis particula patet, fuisse proprium coloniæ Genetivæ contendit Giraud, utpote in loco sitæ parum etiam tum pacato ; ita ut novi coloni non solum vicinorum suorum incursionibus, sed externorum quoque prædationibus obnoxii essent.[3] Concedit tamen colonias municipiaque quæ eadem rerum conditione uterentur, eo jure non magis caruisse. Quidquid est, non audacius esse credimus inde ad istos tribunos militum a populo remeare quos in Italiæ quibusdam civitatibus fuisse comperimus.

Quæ enim sit lex illa coloniæ Genetivæ attentius consideremus.

Si iis[4] assentiris qui contendunt legem Juliam municipalem nihil aliud esse quam communem quamdam legem qua regeretur constitutio omnium municipiorum, tum Romæ ipsius, tum civitatum aut in Italia, aut extra Italiam sitarum (quod quidem inspicere, nec in animo nobis est, nec res ipsa postulat),

1. Cf. Giraud, *les Bronzes d'Osuna. Journal des Savants* (mai 1874) ; et *Eph. Epigr.*, II, p. 108 sqq., iterum p. 221 sqq.
2. Giraud. *Journal des Savants*, 1874, p. 353. — *Eph. Epigr.*, II, p. 112 et 226. De eo capite pauca in commentario dicuntur.
3. Giraud. *Bronzes d'Osuna*, p. 353, et *Bronzes d'Osuna, Rem. nouvelles*, p. 102 sqq.
4. Mommsen. *Hist. Rom.* (Trad. Alexandre), VIII, p. 319. Append. D. Marquardt, *Staatsverw*, I, p. 66.

proximum est ut legem coloniæ Genetivæ fere eodem tempore et ab eodem C. Julio Cæsare datam, esse suspiceris aut imitationem, aut partem etiam legis Juliæ municipalis. Inde sequitur ut supra allatum hispanæ illius legis caput ad Italiam quoque pertineat, et memoratum ibi institutum in Italia quoque viguerit.

Sin, quod aliis placet, legem Juliam municipalem non istiusmodi fuisse credis, at earum legum generis potius quæ per saturam dicuntur, separatim consideranda est lex coloniæ Genetivæ. Manifestum vero est, ut asserit sagax Duruy,[1] quoties nova lex ferenda erat, eam non integram creari solitam ; sed e diversis civitatum moribus, aut e legibus hactenus latis, passim depromi unde nova lex constitui posset. Ita, exempli gratia, hac ipsa in lege coloniæ Genetivæ caput centesimum quartum simillimum alteri legis Mamiliæ esse reperias, quæ a Cæsare quoque lata fuit[2]. Quod et aliis capitibus conjectare cur non liceat? Omnino ergo verisimile est caput centesimum tertium de quo hic agitur ex istis veteribus Italiæ moribus depromptum fuisse quorum vestigia in epigraphicis titulis latentia tenemus. Sic alterum alterius ope et comparatione illustratur.

Licet ergo ex ista lege coloniæ Genetivæ indicia sumere, quibus perspiciamus qui fuerint tribuni militum a populo. Supra allatum caput inspicienti tria sunt notanda :

1° Quoties, *finium tuendorum causa*, armatos colonos educere necesse est, decurionum jus est de ea re decernendi, decretoque facto, coloni et incolæ evocantur qui arma ferre possunt.

1. *Hist. des Rom.*, V, p. 79. « La table d'Héraclée, la lex Rubria, une foule d'autres dont nous connaissons l'existence pouvaient servir de modèle et constituaient un fonds commun où puisaient les anciennes villes qui voulaient écrire ou réformer leur coutume, aussi bien que les nouvelles cités auxquelles il fallait donner une loi. » Quod certis argumentis probat (*o. c.*), p. 78, not. 3. Assentitur Marquardt, *Staatsverw*, I, p. 472.

2. Utrumque confert doctus Giraud, legis coloniæ Genetivæ (*Journal des Savants*, 1874, p. 353), legis Mamiliæ caput (*ib.*, p. 352). Cf. Duruy, *Hist. des Rom.*, V, p. 522, et *Eph. Epigr.* (II, p. 120 et 226). Hanc legem Mamiliam C. Julio Cæsari tribuendam probat Th. Mommsen (*Eph. Epigr.*, II, p. 120.)

2° Conscriptis colonis et incolis præficitur duumvir qui tum juri dicundo præest ; at duumviro licet aliquem alterum pro se armatis præficere.

3° Ei duumviro aut ei quem duumvir colonis præfecit idem jus eademque animadversio est, atque tribuno militum in exercitu populi romani.

Pauca observemus :

1° a) Hac in lege de militibus agitur e coloniæ populo sumptis, ab eodem populo originem trahentibus[1], et ad eum pertinentibus ; quod supra proprium italicorum nostrorum militum esse vidimus.

b) Eam militiam municipalem non permanentem fuisse notemus, quod maximi est momenti ; sed quoties res erat necessaria, finium tuendorum causa, coloni armari et educi poterant, aut universi aut tantum partim forsitan, prout majus aut minus instabat periculum.

c) Inde quod decurionum erat de ea re decernere sequitur eos ejus rei rationem romano senatui debuisse ; et si ita collecta virorum manus ad aliud quod inceptum adhibita fuisset, reipublicæ romanæ infestum, fieri poterat ut pœnas darent propterea decuriones, et id, aut vita, aut libertate redimerent[2]. Decurionum vero plurimum intererat in municipiis sibi aut senatus aut imperatoris amicitiam conciliare.

2° a) Quemadmodum militia municipalis permanens ea non erat, ita tribunatus iste de quo agitur non justis honoribus est annumerandus ; non annuus ergo ut duumviratus aut quatuorviratus, non quinquennalis, ut quinquennalitas, at omnino extraordinarius. Peracta expeditione, nihil istiusmodi tribuno nisi titulus quidam honorarius remanebat.

b) Notandum maxime est eum tribunatum aut duumviro

1. Quod non pertinet ad incolas ; at ii quasi in supplementum armabantur, nempe omnium civitatis munerum participes erant. (Cf. Marquardt, *Staatsverw*, I, p. 466.)

2. Quod non semel accidit. Cf. Suet., *Tib.*, 37. Ac partem majorem plebei ac decurionum (Pollentiæ) in perpetua vincula conjecit.

ege concessum[1], aut ab eodem duumviro alteri mandatum fuisse. Non ergo certus in cursu municipalium honorum locus ei assignandus est ; nam aut ante duumviratum, aut per duumviratum, aut post duumviratum geri poterat hic honor, aut etiam a quocumque colono aut municipe quem sua virtus insigniebat. Quod maximi momenti est ad eos titulos intelligendos quos infra memorabimus.

3° Quoniam jus tribuni militum romanorum huic municipalium copiarum præfecto lege tribuebatur, quid mirum in Italia, in quibusdam municipiis Romæ adjacentibus, nomen quoque additum fuisse[2]?

Tale vero institutum negat Giraud unquam in Italia exstitisse, quippe quod romanæ disciplinæ repugnet. Nobis vero res non adeo incredibilis videtur.

Vel post sociale bellum, id de quo hic agitur, non modo non rei romanæ non periculosum erat, sed etiam civitatibus valde necessarium ; non periculosum, quia Italici id adepti erant propter quod bellum susceperant; causa ergo sublata, bellum quoque, et in præsens, et in futurum evanuerat; necessarium, quia hostilibus vel vicinorum vel externorum irruptionibus quæque civitas obnoxia sæpe erat, quas suis militibus Romani arcere nec poterant, nec volebant. Suos agros defendere ac pacare cujusque civitatis erat[3]. Satis erat tumultuarios illos

1. Non a populo datum, in comitiis. Nemo eorum qui tribunos militum a populo municipalis militiæ duces esse contenderunt, quantum quidem scimus, eos a populo electos esse dixit. Id vero a doctissimo Giraud acrius et sæpius incusatur. Inde maxima confusio.

2. Omnibus notum est eadem honorum nomina Romæ atque in priscis Italiæ civitatibus exstitisse; ita erant *consules* Beneventi, *censores* Abellini, Aletrii, Beneventi, Copiæ, Coræ, Ferentini, etc. ; *prætores* Anagniæ, Auximis, Beneventi, Capenæ, Castronovi, Coræ, etc. ; *dictatores* Ariciæ, Cære, Fabrateriæ vetere, Fidenis, etc. ; *tribuni plebis* Teani, Venusiæ. Cf. Wilmanns (Indices), p. 618. Sociali bello, Italicorum legiones ut romanæ constitutæ erant, idemque erat muneribus militaribus nomen. Id saltem asserit Duruy (*Hist. des Rom.*), V, p. 521, not. 1. De ea Romanorum et Italicorum constitutionis similitudine, cf. Mommsen. *Hist. Rom.* (Trad. Alexandre), tome V, p. 211 et 212.

3. Vix utile est hic notare nihil commune esse inter hos extraordinarios

delectus quibusdam peculiaribus constitutionibus temperare ; exempli gratia jus de tali re decernendi decurionibus attribuendo, aut quocumque alio modo præcavendo. Quantum militia quælibet permanens Romanæ reipublicæ metuenda fuisset, tantum id nostrum institutum, taliter definitum, omni carebat periculi suspicione.

Nunc ad titulos ipsos veniamus quos, docti Giraud exemplo, singulos inspiciamus, ut inde, quantum dabitur, omnia argumenta detrahamus quæ hic latent.

Unus et viginti tituli exstant in quibus munus tribuni militum a populo memoratur; quorum alii integri, alii mutili, at certi tamen. Eorum duodecim, inter Pompeiana rudera effossos, posterius referemus[1]. His in omnibus notandum est, præter illum quem priorem referemus, nullam honorum reipublicæ romanæ mentionem fieri, at municipalia tantum munera memorari, unde concludas verisimillime hunc quoque tribunatum militarem inter municipales honores annumerandum.

1.

C. I. L. V. 3334. = Wilmanns, 1605.
Veronæ.

P · BAEBIO · P · FIL
POB · TVTICANO
TRIB · MIL · A · POPVLO
PRAEF · EQ · PRO · LEG
PONTIFICI · IIII VIR
PLEBS · URBANA
PERMIS · DEC

P. Bæbio, P. fil(io), Pob(lilia tribu), Tuticano, trib(uno) mil(itum)

civium tumultus, finium tuendorum causa a decurionibus decretos, et justos delectus a populi romani dilectatoribus habitos in diversis Italiæ partibus nec alterum alteri obstitisse.

1. Hoc munus tum plenis litteris incisum est : Trib. mil. *a populo*, tum breviter, ut *a pop.*, aut etiam *a p.*

a populo, præf(ecto) eq(uitum) pro leg(ato), pontifici, IIII vir(o); plebs urbana, permis(su) dec(urionum.)

Hunc titulum ante annum 711 = 43 incisum fuisse probat recte noster Giraud[1], quum P. Bæbius IIII vir nuncupetur, non IIII vir juredicundo. Quod notemus.

Inter omnes honores quibus vir ille ornatus fuit, unus maxime conspicuus est et admodum rarus : nempe *pro legato* dicitur. Ante Cæsaris ætatem, suus cuique legioni dux non erat. Cæsar vero singulis legionibus singulos legatos præfecit quibus omnium legionis partium summum regimen committeret[2]. Hujus in locum, si quam ob causam a legione abesset, unus inter tribunos præfectosve succedebat, qui, ut æquum est, pro legato nuncupabatur[3]. Id P. Bæbio contigit dum præfectus alæ equitum erat[4]. Facile enim intelligitur eum postquam *tribunatum a populo* inter suos municipes, verisimiliter IIII viri loco, egregie gesserat, alæ equitum in exercitu romano præpositum fuisse[5], et quum ea præfectura non sine quadam virtute fungeretur, pro legato aut ab ipso legato, aut ab imperatore electum fuisse.

Tribunatum militarem post præfecturam eum gessisse, ut vult Giraud, non credendum est. Tribuni enim legionis dignitas præfecti alæ equitum dignitate minor habebatur, in cursu munerum militarium[6]. Id vero eo minus fieri potuit quod non solum præfectus equitum fuerat P. Bæbius, sed etiam simul et pro legato. Hujus ergo honores ordine directo incisi sunt.

1. Giraud. *Les Bronzes d'Osuna*, *Rem. nouv.*, p. 40.
2. Cæs. *B. G.* 1, 52; 2, 20; 5, 1; 5, 47. Cf. Lange *Hist. mutationum rei militaris*, Goettingæ, 1846, in-4°, p. 23, et Marquardt, *Staatsverw*, II, p. 442.
3. Pro legato dictum fuisse nos docet Marquardt (*Staatsverw*, II, p. 443) eum qui, quamvis nondum senatoria esset ætate, legioni præponebatur; id vero ad imperatoriam ætatem spectat qua omnia certe ordinata erant, nec huïc nostro titulo convenit.
4. Duo enim munera conjungit Wilmanns (Indices), p. 600.
5. Sæpius ea ætate homines ejus nationis ex qua equites conscripti erant popularibus suis velut præfecti præerant. Cf. Lange (*o. c.*), p. 25.
6. Cf. Renier, *Mél. d'épig.*, p. 234 et 238, not. 2.

Patriam regressus, a municipibus et pontificatu, et quatuorviratu, summis nempe municipii honoribus est exornatus.

2.

C. I. L. V. 916.
Aquileiæ.

Q · GAVIVS · Q · F
AQVILA · DECVRIO
TR · MIL · A · POPVLO
HORTIA · C · F · SECVNDA
VXOR
GAVIA · Q [F · FILIA

Q. Gavius, Q. f(ilius), Aquila, decurio, tr(ibunus) mil(itum) a populo; Hortia, C. f(ilia), Secunda, uxor; Gavia, Q. f(ilia), filia.

Hunc titulum Giraud miro quodam modo explanare conatus est : Aquilam enim negat esse cognomen, at idem esse contendit atque aquiliferum aut signiferum. Ex aquilifero ergo Q. Gavium decurionem legionarium fuisse arbitratur, ex decurione tribunum militarem. Ita nullos alios honores hoc in titulo memoratos affirmat nisi militares.

Quod ad *Aquilam* attinet, videas an docti Giraud interpretationem accipiendam putes; nos vero omnino repudiamus, utpote plus quam temerariam[1], et Aquilam cognomen P. Gavii esse credimus. Non magis assentimur ei opinioni qua *decurio* pro militari decurione sit interpretandus. Verum est decuriones militares interdum decuriones sine ullo additamento in titulis nuncupari, at idem de decurionibus municipalibus dici potest[2]; ex ceteris honoribus in titulo memoratis dijudicandum est.

Nostra ergo sententia, erat P. Gavius Aquila unus ex Aquileiensibus decurionibus, idemque armatis municipibus præfectus fuit.

1. Quos refert Juvenalis versus et veteris scholiastis de iis verba, nihil probant (*o. c.*, p. 44). Res nequaquam controversiæ locum dare posse nobis videtur.
2. Cf. Wilmanns, 1721, 1785, 1842, 1870, 1912, etc.

Denique observandum est hunc titulum, ut ait Mommsen, « litteris pulchris et alte incisis inscriptum fuisse, antiquæ ætatis ».

3.

Bullett., 1839, p. 66. = Or. 7084.
Cære (*hodie Cervetri*).

M·MANLIVS·C·F
POLLIO
TR · MIL
A · POPVLO
PRAEF · FABR
CENS · PERP

M. Manlius, C. f(ilius), Pollio, tr(ibunus) mil(itum) a populo, præf(ectus) fab(rum), cens(or) perp(etuus).

De hoc titulo longius disseruit Giraud[1]; ad ætatem Cæsaris eum pertinere arbitratur, nec ulla causa est cur id rejiciamus[2].

Non item de ceteris rebus quas affirmat. M. Manlium enim hoc titulo memoratum, unum ex optimatibus reipublicæ romanæ esse vult[3] quod nullo certo argumento probat. Non ea autem est docti Wilmanns opinio qui in indicibus[4] Manlii nostri nomen litteris minutis scripsit, ut indicaret eum non senatorii ordinis virum esse. Res vero non longam commentationem desiderat. Gravius videtur esse argumentum quod ex peculiari Cæritum civitatis statu ducitur. Quoniam enim Cærites a Romanis defecerant nec civitatem, nec jus honorum obtinuerunt

1. *O. c.*, p. 46-54.
2. Idem fere jam pronuntiaverat Zumpt, *Comment. Epigr.*, I, p. 81. « Non descendunt infra Augusti ætatem duo unius hominis tituli Cæretani. »
3. *O. c.*, p. 48. « Tel est donc le destinataire de notre inscription : un personnage de l'aristocratie romaine, considérable par la naissance et la fortune. »
4. P. 341. Hic multorum Manliorum nomina reperias qui profecto non inter optimates reipublicæ romanæ sunt annumerandi.

et in præfecturarum numerum respublica eorum reposita est. Inde concludit Giraud[1] nullum militare institutum tali in civitate tolerari potuisse. Cui rei nos satis respondisse credimus, quum antea jam demonstravimus id de quo agitur omni periculi suspicione carere.

Notandum est hunc nostrum Manlium præfectum fabrum fuisse[2]. Alias de præfectis fabrum jam locuti sumus[3]. Unum tantum addendum est. Facile intelligitur in his titulis in quibus tribuni militum a populo memorantur, sæpius præfecturæ fabrum mentionem occurrere : legatum elegisse ut fabris suis præficeret virum qui jam militari inter suos municipes munere functus esset, aut contra decuriones popularibus armatis eum præposuisse qui antea præfectus fabrum fuisset.

Utrum vero directo an inverso ordine honores hoc in titulo dispositi sint, non liquet.

4.

Borghesi (*Œuv.*, VII, 347).
Ad Olevanum (*Olevano.*)

M·M*u*NATVLEIVS·M·F
*a*NI·MARCELLVS
tr.mil·A·POPULO

M. M[u]natuleius, M. f(ilius), [A]ni(ana tribu), Marcellus, [tr(ibunus) mil(itum)] a populo.

Paucissima de eo titulo sunt dicenda. Pro vero habendum est quod asserit Giraud, nullum municipium fuisse hoc loco quo hodie est vicus Olevano dictus, at nihil inde concludendum est. Fuit sane M. Munatuleius tribunus militum a populo in vicino nescio quod municipio, Præneste, Sublaquei aut

1. *O. c.*, p. 46 et 47.
2. Inde novum argumentum trahas adversus ea quæ dixit Giraud : unus enim ex optimatibus reipublicæ romanæ non profecto præfectus fabrum fuisset.
3. Cf. p. 13.

Anagniæ; ceterum hic titulus non per se, sed ceterorum comparatione, illustrandus est.

5.

Mommsen. *I. N.* 834*.

t. pompullius , l. f. lappa
II vir quinq. trib. mili. a populo
præf. fabr. ex testamento. atrium
auctionarium fieri et mercurium
augustum sacrum poni jussit
arbitratu epaphre liberti.

T. Pompullius, L. f(ilius), Lappa, II vir quinq(uennalis), trib(unus) mili(tum) a populo, præf(ectus) fabr(um), ex testamento atrium auctionarium fieri et Mercurium Augustum sacrum poni jussit; arbitratu Epaphr(a)e, liberti.

Quo in loco hic titulus effossus sit ignoratur; non enim consentiunt ii qui eum ediderunt, at de ipsa inscriptione nulla est controversia, quamvis Mommsen eam inter suspectas seposuerit[1] : facillime vero eam explanaveris : T. Pompullius Lappa II vir quinquennalis in suo municipio creatus est, dumque eum magistratum gerebat, municipibus suis præpositus est ad civitatem defendendam. Posthac præfectus fabrum creatus est.

Ex eo quod Mercurius hic Augustus dicitur, constat post annum 746=8 mortuum fuisse T. Pompullium et titulum positum, at fieri potest ut ille multo antea tribunus militum a populo fuerit.

6.

Mommsen. *I. N.* 1888. = Wilm., 1894.
Abellini.

SEPTIMIAE · L · F · SIL*vanae*
M · ALLIO · M · F · MEN · RVF*o*

1. *I. N.* 834* « Ceterum de ipsa inscriptione nihil affirmo : hoc dico non esse Pælignam. »

PRAEF · FABR · CEN · Q · TR · MIL · A · P · E · *v*
HUNC DECVRIONES GRATIS · IN · ORDINEM SV*um*
ADLEGERVNT · DVVMVIRALIVM · NVMERO
ORDINEM · ADIIT · PETIITQVE · VT · DECRETO
QVOQVE · VOLVNTATEM · ESSE · ADSCRIB*erent*.

Septimiæ, L. f(iliæ), Sil[vanæ], M. Allio, M. f(ilio), Men(enia tribu), Ruf[o], præf(ecto) fabr(um), cen(sori), q(uæstori), tr(ibuno) mil(itum) a p(opulo), e(gregio) [v(iro)][1]; hunc decuriones gratis in ordinem su[um] adlegerunt, duumviralium numero; ordinem adiit, petiitque ut decreto quoque voluntatem esse adscrib[erent].

Hic titulus omnium quos ante retulimus maxime conspicuus est, quia certiori locum dat explicationi.

Neminem fugit, ut Romæ, ita in municipiis, censoris majorem quam quæstoris dignitatem esse.

Ex eo ergo quod M. Allius Rufus CEN. Q. dicitur, sequitur hujus honores inverso ordine esse dispositos, et M. Allium fuisse :

1° Tribunum militum a populo;
2° Quæstorem;
3° Censorem;
4° Præfectum fabrum.

Ad quod confirmandum alterum titulum Abellini repertum proferre possumus quod ad alterum Allium pertinet[2]. Idem

1. Wilmanns legit : E[q(uiti) R(omano)].
2. Mommsen, *I. N.* 1889. Cf. Indices, p. 456.

.... *a*LLIO · C · F.
r VFO
ii v IR · Q
ii vi R · CENS
præf. f ABR
trib. mi L · LEG · XXI
Rap. PRAEF *alæ*.

... [A]llio, C. f(ilio), [R]ufo, [ii v]ir(o) q(uæstori), [ii vi]r(o) cens(ori), [præf(ecto) f]abr(um), [trib(uno) mi]l(itum) leg(ionis) XXI [Rap(acis)], præf(ecto) [alæ....]

Hac in inscriptione notandum maxime est tribunatum militarem post præfecturam fabrum memorari; in ea autem quam priorem retulimus tri-

in utroque cursus honorum municipalium est, præter tribunatum militarem a populo, qua hic alter Allius caruit; posterior autem inscriptio ordine directo incisa est. Cur vero egregius vir aut eques romanus dicatur, non obscurum est : præfectura fabrum equestribus militiis æqualis habebatur ; ob id ergo quod præfectus fabrum fuerat, M. Allius inter romanos equites annumerabatur; quod in hoc titulo, omnibus honoribus enumeratis, memoratum est.

Omnino insignis est posterior cjus inscriptionis pars. Inde discimus a decurionibus Abellinatibus M. Allium Rufum gratis in ordinem allectum fuisse et in duumviralium numerum relatum. Ita, non modo in curiam est allectus, sed quamvis nullum honorem gessisset, inter eos qui duumviri fuerant habitus est[1]; nec tamen eam dignitatem ei oneri esse voluerunt decuriones, utque omni impensa liberaretur, ei summam honorariam remiserunt quæ ab iis debebatur qui ad duumviratum perveniebant[2].

Singularem ergo operam necesse est M. Allium civitati præbuisse, priusquam ullum duumviratum gessisset, id est, vel ante quæsturam quæ Abellini inter duumviratus annumerabatur[3]. Verisimillimum est eum talem occasionem de civitate bene merendi nactum esse, dum tribunus militum a populo erat, et patriam suam quodam magno periculo liberavisse.

Ita facile res explicatur quæ aliter prorsus mirabilis foret.

Ut vero se tanto honore gratum esse M. Allius aperte ostenderet, ordinem adiit, petiitque ut eam esse suam voluntatem decreto adscriberetur.

....

bunatum a populo ante quæsturam insertum esse. Inde haud dubitanter sequitur non de eodem tribunatus genere in utraque inscriptione agi.

1. Pariter ad primos senatus romani locos promovebantur interdum ea ætate qui ultimos magistratus tantum gesserant. Ita M. Papirius Carbo, tribunicius, locum consularem anno 687 = 67 obtinuit, nec tamen ante annum 692 = 62 prætura ornatus est. Cf. Willems, *Le Sénat de la Rép. rom.* Louvain, 1879, in-8°, I, p. 631.

2. Ita enim *gratis* est interpretandum. De summa honoraria, cf. Renier, *I. A.* 1835, 1836, 2172, 2173, 4145, 4149, etc., et Plin. *Ep.* 10, 113 et 114.

3. Cf. inscriptionem jam citatam : Mommsen, *I. N.* 1889.

Omnibus quos jam protulimus titulis quædam fragmenta inscriptionum addenda sunt in Italia, quoque effossa.

7.

Mommsen *I. N.* 5370.
Corfinii.

...... NORE · AB · DECVRIONIBVS · POPVL
...... CVR · TRIB · MIL · A · POPVLO

Quamvis valde truncus sit hic titulus, inde discimus hunc in cujus honorem fuerat positus, curatorem fuisse et tribunum militum a populo Corfinii. Ita hic quoque, ut in ceteris inscriptionibus, adjacet honori municipali tribunatus militum a populo.

8.

Mommsen *I. N.* 3628.
Capuæ.

..... M · F · FAL
trib. mil. a POPVLO
...... Ɔ · L · ISIAE
etc.

.....M. f(ilio), Fal(erna tribu), [trib(uno) mil(itum) a]populo..., mulieris l(iberto) Isiæ..., etc.

Inde nihil certum detrahi posse per se liquet

9.

Marini. *Arv.* p. 806 = Henzen, *Bullett.*, 1860, p, 12.
Ad vicum dictum nunc *Acquasparta.*

Ti... *l*IO · VIBI · F · CLV · PATRI
...... LIO · TI · F · CLV · FRATRI
...... *l*IAE MATRI
...... LIVS · TI · F · PVB · CLEMENS · SCR · $\overline{\text{XXVI}}$
*trib. mi*L · A · POPVLO · $\overline{\text{II}}$VIR · IVREDICVNDO · CARSVLIS · SEX
...... EX · SCENIC · PRIMVS · MVNVS · GLADIATORIVM · MVNICIPI

[Ti...l]io, Vibi(i) f(ilio), Clu(stumina tribu), patri,...lio, Ti. f(ilio),

Clu(stumina tribu), fratri,... [l]iæ matri,...lius, Ti. f(ilius), Pub(lilia tribu), Clemens, scr(iba) vigintisexviralis, [trib(unus) mi]l(itum) a populo, II vir juredicundo Carsulis, etc.

Hic quoque alius tribuni militum a populo mentionem deprehendimus qui et II vir juredicundo Carsulis fuit. Ætas vero hujus tituli non obscura, quippe ante annum 724=20 incisus est, quo ex vigintisex viris facti sunt vigintiviri[1].

His ergo ex omnibus inscriptionibus constat fuisse istiusmodi tribunos:

1° Veronæ, ante annum 711 ;
2° Aquileiæ, ætate antiqua ;
3° Cære, ætate Cæsaris aut Augusti ;
4° In municipio cujus nomen latet ;
5° — Augusti ætate ;
6° Abellini ;
7° Corfinii ;
8° Capuæ ;
9° Carsulis, ante annum 734.

Restat ut Pompeianos titulos proferamus. Quamvis duodecim sint numero, tamen ad quinque tantum viros pertinent : M. Holconium M. f. Rufum, A. Clodium Flaccum, M. Tullium M. f., A. Veium M. f. et M. Lucretium Decidianum Rufum, qui omnes summis honoribus Pompeiis functi sunt. Tam multa vero in hujus urbis ruinis documenta reperta sunt, ut germanus quidam, H. Nissen, illius civitatis annales restituere potuerit[2], quo duce ad eas ordinandas inscriptiones utemur.

M. HOLCONII RUFI TITULI

Inter annos 12 et 9, a. C. n., M. Holconius Rufus II vir tertium creatur cum C. Egnatio Postumo[3].

1. Dio. 54, 26. Οἵ τε δὴ εἴκοσιν οὗτοι ἄνδρες ἐκ τῶν ἓξ καὶ εἴκοσιν εἰσίν.
2. *PompeianischeStudien zür Städtekunde des Alterthums*. Leipzig, 1877, in-4°, p. 674 sqq.
3. Nissen, *o. c.*, p. 675.

Mommsen *I. N.* 2201 = Wilm., 1908 :

M·HOLCONIVS·RVFVS·D·V·I·D·TERT
C·EGNATIVS·POSTVMVS·D·V·I·D·ITER
EX·D·D·IVS·LVMINVM
OPSTRVENDORVM · HS ∞∞∞
REDEMERVNT · PARIETEMQVE
PRIVATVM · COL · VEN · COR
VSQVE · AT · TEGVLAS
FACIVNDVM · COERAVERVNT

M. Holconius Rufus, d(uum)v(ir) j(ure)d(icundo) tert(ium), C. Egnatius Postumus, d(uum)v(ir) j(ure) d(icundo) iter(um), ex d(ecreto) d(ecurionum), jus luminum opstruendorum, HS. tribus millibus (nummum) redemerunt, parietemque privatum col(oniæ) Ven(eriæ) Cor(neliæ) usque at tegulas faciundum coeraverunt.

Inter annos 7. et 2 a. C. n. ad honorem flamonii provehitur[1]. Anno 2. a. C. n. IIvir quartum creatur.

Mommsen *I. N.* 2261 = Wilm. 1944.

A · VEIVS · PHYLAX
N · POPIDIVS · MOSCHVS
T · MESCINIVS · AMPHIO
PRIMVS · ARRVNTI · M · S
MIN·AVG·EX·D·D·IVSSV
M · HOLCONII · RVFI · $\overline{\mathrm{IV}}$
A · CLODI · FLACCI · $\overline{\mathrm{III}}$
D·V·I·D
P · CAESETI · POSTVMI
N · TINTIRI · RVFI
d · V · V · A · S · P · P
*imp. cae*SARE · $\overline{\mathrm{XIII}}$ COS
*m. plautio si*LVANO

A. Veius Phylax, N. Popidius Moschus, T. Mescinius Amphio, Primus. Arrunti(i) M(arci) s(ervus), min(istri) Aug(usti), ex d(ecreto) d(ecurionum), jussu M. Holconii Rufi $\overline{\mathrm{IV}}$, A. Clodi(i) Flacci $\overline{\mathrm{III}}$, d(uum)v(iro-

1. Nissen, *o. c.*, p. 676

rum) j(ure) d(icundo), P. Cæseti(i) Postumi, N. Tintiri(i) Rufi, [duum)]-v(irorum) v(otis) A(ugustalibus) s(acris) p(ublicis) p(rocurandis), [im-(peratore) Cæ]sare XIII, [M. Plautio Si]lvano co(n)s(ulibus).

10.

Mommsen *I. N.* 2231. = Wilm. 1909 (*c*).

M · HOLCONIO · RVFO · D · V · I · D · IIII · QVINQ
TRIB · MIL · A · POPVLO · AVGVSTI · SACERDOTI
EX · D · D

M. Holconio Rufo, d(uum)v(iro) j(ure)d(icundo) IIII, quinq(uennali), trib(uno) mil(itum) a populo, Augusti sacerdoti, ex d(ecreto) d(ecurionum).

Inter annos 1 et 14 p. C. n., verisimiliter anno 6 aut 10[1], IIvir juredicundo quintum creatur, quinquennalis iterum, eodem fere tempore patronus coloniæ a decurionibus cooptatur[2].

11.

Or., 7079 (*a*) = Wilm. 1910.

M · HOLCONIO · M · F · RVFO
TRIB · MIL · A · POPVL · II · VIR · I · D V
QVINQ · ITER
AVGVSTI · CAESARIS · SACERD
PATRONO · COLONIAE

M. Holconio, M. f(ilio), Rufo, trib(uno) mil(itum) a popul(o), IIvir(o) j(ure)d(icundo V, quinq(uennali) iter(um), Augusti Cæsaris sacerd(oti), patrono coloniæ.

12.

Mommsen *I. N.* 2232 = Wilm., 1909 (*d*).

M · HOLCO NIO · V · F · *r*VFO (sic)
II V · I · D Q VINQVIENS

1 Nissen, *o. c.*, p. 243.
2 Id., *ibid.*, p. 676.

TER · QVINQ · TRIB · MIL · A · P
FLAMINI · AVG · PATR · COLO · D · D

M. Holconio, M. f(ilio), [R]ufo, IIv(iro) j(ure)d(icundo) quinquiens, iter(um) quinq(uennali), trib(uno) mil(itum) a p(opulo), flamini Aug(usti), patr(ono) colo(niæ), d(ecreto) d(ecurionum).

Mommsen. *I. N.* 2234.

*m.h*OLCO*nio* M · F · RVFO
*fla*MINI . *caes.au*GVSTI
*pa*TRON*o* *coloni*AE

[M. H]olc(onio), M. f(ilio), Rufo, [fla]mini [Cæs(aris) Au]gusti, [pa]tron[o coloni]æ.

Quibus titulis duo præterea jungendi sunt, quorum certus annus non definiri potest.

13.

Fiorelli. *Catal. del mus. di Nap.* I. 1298.

M · HOLCON*io. m. f.*
RVFO · II · VIR *i. d...*
QVINQ · TR · MIL. *a.p.*
FLAMINI · CAES · *Aug*
QVINTIO · L...

M. Holcon[io, M. f(ilio)], Rufo, IIvir(o) [j(ure) d(icundo)...] quinq(uennali), tr(ibuno) mil(itum) [a p(opulo)], flamini Cæs(aris) A[u(gusti)], Quintio l(ibertus)....

14.

Mommsen *I. N.* 2233

m.hol CONIO · RVF*o*
*q*VINQ · TRIB · MIL. *a.p*

[M. Hol]conio Ruf[o], [q]uinq(uennali, trib(uno) mil(itum) [a p(opulo)].

Quas omnes inscriptiones si attente comparaveris, M. Holco-

nium Rufum tribunum militum a populo fuisse comperies ante annum 2. (a. C. n), aut eo anno summum. Hoc enim titulo quo duumvir. j. d. quartum[1] dicitur, jam tribunus militum a populo nuncupatur. In altero autem, eodem tempore inciso, quem supra retulimus[2], duumvir j. d. tantum appellatur; hic vero nihil aliud est quam publicarum civitatis tabularum exemplar; inde fit ut, nec tribunatus a populo, nec sacerdotii mentio facta sit; alter autem honorarius titulus, quo omnes viri honores enumerantur.

Conjectare ergo licet eum tribunum militum a populo fuisse dum duumvir j. d. erat aut primum, aut iterum, aut etiam tertium.

Ex iis vero inscriptionibus, novo argumento probatur tribunum militum a populo non significare tribunum a populo Romano electum. Quomodo enim in eodem titulo vir tribunus militum a populo et sacerdos Cæsaris Augusti diceretur ? Alterum alteri rei omnino repugnat.

A. CLODII FLACCI TITULI

Ante annum 20. (a. C. n.) A. Clodius II vir. j. d. creatur cum N. Arcæo Arreliano Caledo[3].

Mommsen. *I. N.* 2195. = Wilmanns. 1906.

A·CLODIVS·A·F·FLACCVS·N·ARCAEVS·N·F·ARRELIAN·CALEDVS
D · V · I · D · MENSVRAS · EXAEQVANDAS · EX · DEC · DECR

A. Clodius, A. f(ilius), Flaccus, N. Arcæus, N. f(ilius), Arrelian(us) Caledus, d(uum)v(iri) j(ure)d(icundo), mensuras exæquandas ex dec(urionum) decr(eto) (curaverunt).

Inter annos 14 et 12, iterum II vir. j. d. quinquennalis fit[4].

1. N. 10.
2. Mommsen, *I. N.* 2261 = Wilm., 1944.
3. Nissen, *o. c.*, p. 675. Cf., p. 74.
4. Id., *ibid.*, p. 675.

Mommsen *I. N.* 2296.

T · SORNIO · T · F · VEL
PR*a*EF F*abr.*
*a.cl*ODIVS · FLACCVS *tribunu*S
*mil.*QVINQ · HONORIS *caussa dedi*T
*lo*CVM EX*dec. dec.*

T. Sornio, T. f(ilio), Vel(ina tribu), pr[a]ef(ecto) f[abr(um), A. Cl]odius Flaccus, [tribunu]s [mil(itum)], quinq(uennalis), honoris [caussa, dedi]t [lo]cum ex [dec(reto) dec(urionum)].

Anno 2, a. C. n. cum M. Holconio Rufo II vir j. d. tertium creatur[1]. Quod titulo memoratur quem jam transcripsimus[2].

Denique tres illius duumviratus honoraria inscriptione comprehenduntur, cui ludorum mentio inscribitur, quos ob honorem duumviratus toties edidit.

15.

Mommsen. *I. N.* 2378. = Wilm, 1907.

A·CLODIVS·A·F
MEN·FLACCVS·$\overline{II}$VIR·I·D·TER·QVINQ
TRIB·MIL·A·POPVLO.
PRIMO DVOMVIRATV, etc.
SECVNDO DVOMVIRATV, etc.
TERTIO DVOMVIRATV, etc.

A. Clodius, A. f(ilius), Men(enia tribu), Flaccus, II vir j(ure)d(icundo) ter, quinq(uennalis), trib(unus) mil(itum) a populo, etc.

Hoc tantum titulo tribunus militum a populo nuncupatur, quod non mirum esse jam notavimus, quippe ceteræ non honorariæ, at publicæ sunt inscriptiones.

Omnino vero insignis est inscriptio, quæ T. Sornio dedicata est. Ibi enim A. Clodius Flaccus tribunus militum dici videtur;

1. Nissen, *o. c.*, p. 676.
2. Mommsen, *I. N.* 2261 = Wilm., 1944.

unde sequitur eum aut tribunum militum fuisse primum Romæ, deinde Pompeiis, aut unum eumdemque honorem his diversis verbis significari et *tribunum militum* hic positum esse pro *tribuno militum a populo*. Fieri tamem potuit ut nescio quid aliud in titulo fuerit atque *tribunus militum*; quamvis enim id doctissimi Mommsen auctoritate nitatur, non omnino placet.

Quod ad ætatem spectat, qua A. Clodius Flaccus tribunus militum a populo fuit, difficile est certum aliquid proferre; constare autem nobis videtur, illum ante annum 2. a. C. n., aut eo anno, id munus exercuisse. Id tantum notemus has quoque inscriptiones ad Augusti ætatem pertinere.

M. TULLII TITULI

inter annos 20 et 14, M. Tullius II vir j. d. tertium, quinquennalis creatur[1].

16.

Mommsen, *I. N.* 2219. = Wilm, 1604

M·TVLLIVS·M·F·D·V·I·D·TER·QVINQ·AVGVR·TR·MIL
Á·POP·AEDEM·FORTVNAE·AVGVST·SOLO·ET·PEQ·SVA

M. Tullius, M. f(ilius), d(uum)v(ir) j(ure) d(icundo) ter, quinq(uennalis), augur, tr(ibunus) mil(itum) a pop(ulo), ædem Fortunæ August(æ) solo et peq(uunia) sua (ædificavit).

17.

Mommsen, *I. N.* 2220.

*m. tulli*VS·M·F·D·V·I·D· III
*qui*NQ·AVG·TRIB·MIL
A·POPVLO.

1. Nissen, o. c., p. 675. Cf., p. 184, nisi malis cum clarissimis Mommsen, *I. N.* (Indices), p. 461 et Renier has inscriptiones ad annum 3 aut 2 p. C. n referre.

M[Tulli]us, M. f(ilius), d(uum)v(ir) j(ure)d(icundo) III, [qui]nq(uennalis), aug(ur), trib(unus) mil(itum) a populo.

Ad quemcumque annum eas inscriptiones retuleris, hunc virum tribunum militum fuisse comperies inter annos 20 (a. C. n.) et 3(p. C. n.)

A. VEII TITULI

Inter annos 15 et 21 (p. C. n.) A. Veio, a decurionibus, locus sepulturæ datur[1].

18.

Mommsen, *I. N*, 2316.

A · VEIO · M · F · II · VIR · I · D
ITER · QVINQ · TRIB
MILIT · ÁB · POPVL · EX · D · D ·

A. Veio, M. f(ilio), II vir(o) j(ure)d(icundo) iter(um), quinq(uennali), trib(uno) milit(um) ab popul(o), ex d(ecreto) de(curionum).

Inde nihil certi sequitur ad eum annum constituendum quo tribunatum militarem Pompeiis gessit A. Veius; sed non multum errabis si idem fere tempus conjectaveris, quod et aliis tribunis militum a populo attribuimus.

M. LUCRETII DECIDIANI RUFI TITULI

De horum titulorum ætate nihil notum est.

19.

Mommsen, *I. N.* 2192. = Wilm. 1920.

M · LVCRETIO · DECIDIAN
RVFO · II · VIR · III · QVINQ ·
PONTIF · TRIB · MIL · Á · POPVLO
PRAEF · FABR · EX · D · D ·
POST · MORTEM.

1. Nissen, *o. c.*, p. 678. Cf., p. 395 et 396.

M. Lucretio Decidian(o) Rufo, II vir(o) III, quinq(uennali), pontif(ici), trib(uno) mil(itum) a populo, præf(ecto) fabr(um), ex d(ecreto) d(ecurionum), post mortem.

20.

Mommsen, *I.N.* 2193. = Wilm. 1921.

M · LVCRETIO · DECIDIAN
RVFO · D · V · III QVINQ
PONTIF · TRIB · MILITVM
A · POPVLO · PRAEF · FABR
M · PILONIVS · RVFVS.

M. Lucretio Decidian(o) Rufo, d(uum)v(iro) III, quinq(uennali), pontif(ici), trib(uno) militum a populo, præf(ecto) fabr(um), M. Pilonius Rufus.

21.

Mommsen. *I.N.* 2299. = Wilm. 1921. (*a*)

M · LVCRETIVS · DECID
RVFVS · II VIR III · QVINQ
PONTIF · TRIB · MIL
A · POPVLO · PRAEF · FAB
M · DECIDIVS · PILONIVS
RVFVS · REPOSVIT.

M. Lucretius Decid(ianus) Rufus, IIvir III, quinq(uennalis), ponti-f(ex), trib(unus) mil(itum) a populo, præf(ectus) fab(rum). M. Decidius Pilonius Rufus reposuit.

Ita quinque viros tenemus qui, principe Augusto, ut verisimillimum est, tribuni militum a populo Pompeiis fuerunt. Hoc sane mirum; non vero omnino incredibile est. Non perpetua enim dignitas hæc erat, at, sicut antea jam diximus, depulso periculo ad quod arcendum decreta fuerat, cessabat; nomen tantum in perpetuum remanebat. Non ergo credendum est quinque vel sex tribunos militares municipales Pompeiis simul exstitisse, quod omnibus rebus quas antea exposuimus repugnat[1]. Hoc tantum colligendum est, intra quadraginta annorum

1. Giraud, *o. c.*, p. 76

spatium (20 a. C. n.— 20 p. C.n) quinquies, nescio quas ob causas, cives Pompeianos armatos esse, tribunumque militarem creatum.

Minus vero mirandum est id Pompeiis quam in multis aliis civitatibus evenisse, quum non modo terrestribus, sed maritimis quoque prædationibus obnoxii essent.

Postquam has omnes inscriptiones et in Italia et Pompeiis effossas separatim inspeximus, superesset ut cum iis conferremus quas jam protulimus, quibus aut præfecti vigilum et armorum Nemausenses, aut præfecti oræ maritimæ Tarraconenses memorantur; at circa omnes morari longius foret; satis erit inter Nemausenses, et Italicas binas eligere quas juxta describamus[1]. Utrinque municipales honores similiter miscentur, eodemque ordine iidem sunt dispositi.

Ut ergo rem contrahamus, ea dignitas quæ *tribuni militum a populo* appellatur, vetus Italicarum civitatum institutum est. Quoties periculum imminebat et cives municipii ad agrum tuendum armare necesse erat, qui summum magistratum gerebat iis præponebatur, eique ut tribuni militum populi romani potestas, ita nomen quoque erat. Peracto bello, hi municipales milites dimittebantur.

Quod non infra Augusti ætatem mansisse videtur; nulla enim

1. N° 4.

SEX · VIRILLIO
SEX · FIL · VOLT
SEVERINO
IIII VIR · IVR
DIC · PONTIFIC
PRAEF · VIGIL
ET · ARMORVM
PRIMITIVOS
LIB

N° 17.

m.tulli VS · M · F · D · V · I · D · III
qui NQ · AVG · TRIB · MIL
A.POPVLO

N° 7.

C · CASSELLI · VOL
POMPEIANI
PRAEF · FAB
IIII VIRI · IVRIDICVNDO
PRAEF · VIGIL · ET · ARM
etc.

N° 6.

M · ALLIO · M · F · MEN · RVF*o*
PRAEF · FABR · CEN · Q · TR · MIL · A · P · E · *v*
etc.

inscriptio posterior esse probari potest; unde concludendum est eo principe id institutum obsolevisse, quo tempore omnium Italicorum municipiorum constitutio paulatim mutata est[1]. Cujus rei duas præcipuas causas deprehendere mihi videor.

1° Usque ad Augusti ætatem perpetuis motibus Italia fuerat concussa; sociale bellum civilia exceperant, nec unquam arma quiescebant. Unde necesse erat semper ad pugnam civitates paratas esse, ut et hostiles vicinorum municipiorum impetus depellerent, et armatos prædonum greges qui civilium motuum occasione uti solent, arcerent. Pacatis autem rebus, omnia tutiora paulatim facta sunt: eæ ergo municipales militiæ sensim inutiles evaserunt. Facile vero intelligitur Augustum non eas restituere conatum esse; quamvis enim nulli essent rei romanæ periculo, inde tamen res oriri poterant quibus respublica leviter impediretur.

2° Omnibus notum est publicam totius Italiæ pacem firmandam et grassatores cohibendos per stationarios milites Augustum suscepisse[2], et postea Tiberium patris consilium tenuisse[3].

Italicæ ergo civitates nihil servaverunt nisi urbanæ securitatis custodiam, quæ servis publicis aut aliis municipalibus ministris tuenda tradebatur. Quorum mentio fit verisimillime in epistola quadam a præfectis prætorio M. Bassæo Rufo, et Macrino Vindice ad Sæpinatium magistratus missa, anno circiter 168 (p. C. n)[4]. Inde discimus in iis callibus quibus oves ex

1. Giraud, *o. c.*, p. 98. — Marquardt, *Staatsverw.* I, p. 478.

2. Suet., *Aug.*, 32. Igitur grassatores dispositis per opportuna loca stationibus inhibuit. Cf. Naudet, *De la police chez les Romains*, *l. c.*, p. 810 sqq.

3. Suet., *Tib.*, 37. Stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit.

4. Mommsen, *I.N*, 4916=Wilmanns, 2841. Cf. Hirschfeld. *Untersuchungen*, p. 226. Conductores gregum oviaricorum, qui sunt sub cura tua, in re præsenti subinde mihi [cum] quererentur, per itinera callium frequenter injuri[as se] a[cci]p[e]r[e] a stationariis et mag(istratibus) Sæpino et Boviano eo, quod in transitu jumenta et pastores, quos conductores habent — dicentes fugitivos esse et jumenta abactica habere — et sub hac specie oves quoque dominicas redhibeant in illo tumulto: necesse hab[ui]mus e[is] jam scribere quietius agerent, etc.

Apulia in montes Aprutinos pergere et in Apuliam postea redire solebant, servos stationarios collocatos fuisse, qui illos transitus gregum oviaricorum specularentur ne res fraudi locum daret[1].

Puteolis, istius modi ministros comperimus *lictores populares denunciatores* nominatos fuisse et societatem contraxisse[2]. Qui in hac inscriptione memorantur.

Or. 2544.

IMP · CAESARI
DIVI · HADRIANI · FIL
DIVI · TRAIANI
PARTHICI · NEPOTI
DIVI · NERVAE · PRONEP
T · AELIO · HADRIANO
ANTONINO · AVG · PIO
PONTIF · MAX · TRIB · POT · $\overline{V}$
IMP · $\overline{II}$ · COS $\overline{III}$ · P · P   a. 142. p. C. n.
CONSTITVTORI · SACRI
CERTAMINIS · SELASTICI
SOCII · LICTORES · POPVLARES
DENVNCIATORES · PVTEOLANI

Imp(eratori) Cæsari, divi Hadriani fil(io), divi Trajani Parthici nepoti, divi Nervæ pronep(oti), T. Ælio Hadriano Antonino Aug(usto) Pio, pontif(ici) max(imo), trib(uniciæ) pot(estatis) V, imp(eratori) II, co(n)s(uli) III, p(atri) p(atriæ), constitutori sacri certaminis (i)selastici, socii lictores populares denunciatores Puteolani.

Ex ipso autem nomine colligitur eorum duplex ministerium fuisse: nempe eis curæ erat ut et noxiis manus injicerent, et quæ de iis visa aut audita fuerant magistratibus denunciarent.

Brundisii, C. Clodii militis Brundisini mentio occurrit.

1. Hi stationarii in Corp. insc. regni Neapol. indicibus inter servos publicos cum hoc additamento: fortasse, numerantur, et in familia publica municipiorum; a Wilmanns in artibus et officiis privatis. (?)

2. Vult tamen Renier non eosdem esse lictores populares ac denunciatores. (*Collège de France*, 29 av. 1880). Non idem sentire videtur Mommsen (*I. N.* Indices, p. 462). Cf. Duruy. *Hist. des Rom.*, V, p. 517.

Or. 7161. = Mommsen, *I. N.* 487.

C · CLODI
VS · MILE*s*
BRVNDIS*i*
NVS.

Arbitratur Henzen militem eum esse « municipalis militiæ securitatis causa delectum, ut cohortes urbanæ et vigiles Nemausenses ». Mommsen autem aliud sentit; quippe suspicatur *miles* cognomen esse. Res dijudicari non potest.

Plura et certiora de iis municipalibus officiis testimonia inter tot Pompeiana monumenta frustra quæsivimus. Nullum armamentarium Pompeiis repertum est, nec asseri potest, ut vult Duruy[1], publicis armis eam pugnam commissam quam refert Tacitus[2]. Privatis tantum armis usi sunt, aut iis quæ cuique domi erant ad proprium usum, aut quibus gladiatores utebantur, quorum magnus numerus effossus est. Creditur vero ejus pugnæ descriptionem graphide delineatam exstare[3], sed adeo incondite ut quibus armis pugnantes usi sint deprehendere non queas; dicas tamen eum, qui sinistram tenet, lanceam aut longum fustem vibrare.

Suspicati sunt et alii gladiatores forsan ad servandam pacem in spectaculis adhibitos fuisse; quippe ex eorum ludo aditus dabatur in theatrum interioribus mesaulis, quod mirum visum est. Quæ conjectura, argute quidem excogitata, omnino est incerta.

Videtur tamen interdum, si quid præter consuetudinem accidisset, unius aut plurium Italiæ regionum quietem tuendam

1. *Hist. des Rom.*, V, p. 518.
2. *Ann.*, 14, 17. Probra, deinde saxa, postremo ferrum sumpsere.
3. F. Lenormant. *Des insc. tracées à la pointe sur les murs des maisons de Pompéi* (Extrait du *Correspondant*, 1854, in-8°, p. 12). Cf. *Museo Borbonico*, (*Relazione degli Scavi*) VI, 12, et tav. C. — Altera ejus pugnæ descriptio in tabula picta memoratur in libro inscripto *Pompei e la regione sotterrata dal Vesuvio*, Nap., 1879, in-4°, p. 204 (Part II); cujus imaginem spectare non potuimus.

militibus et forsitan municipalibus militiis creditam fuisse. Comperimus enim ex insigni titulo Canusii reperto, quemdam M. Antonium Vitellianum tractibus Apuliæ et Calabriæ et Lucaniæ et Bruttiorum (id est regionum II et III) præpositum fuisse, verisimillime ab ipso imperatore.

Mommsen, *I. N.* 646.

M · ANTONIO
VITELLIANO
V · E · PATR · COL
CANVS · P · P · TRAC
TVS · APVLIAE
CALABRIAE · LV
CANIAE · BRVTTIOR
OB · INSIGNEM · EIVS
ERGA · PATRIAM · AC
CIVES · ADFECTIONEM
ET · SINGVLAREM · IN
DVSTRIAM · AD · QVIETEM
REGIONIS · SERVANDAM
POSTVLATV · POPVLI
D · D · P

M. Antonio Vitelliano, v(iro) e(gregio), patr(ono) col(oniæ) Canus(ii), p(ræ)p(osito) tractus Apuliæ, Calabriæ, Lucaniæ, Bruttior(um), ob insignem ejus erga patriam ac cives adfectionem et singularem industriam ad quietem regionis servandam, postulatu populi; d(ecreto) d(ecurionum), p(ublice).

Oppidum Canusium ante Aurelios imperatores municipium, deinde colonia Aurelia fuit.[1] Hic ergo titulus non ante Aurelios imperatores positus fuit.

1. Cf. Mommsen, *I. N.* Ind.. p. 458.

CAPUT QUINTUM

De quibusdam aliis municipalibus militiis.

Ex iis omnibus quæ jam protulimus documentis, constat militias municipales exstitisse tempore liberæ reipublicæ in quibusdam Italiæ civitatibus, nec omnino imperatoria ætate defuisse. Deprehendimus etiam, et in aliis imperii romani partibus similis instituti vestigia, nempe in nonnullis Asiaticarum provinciarum urbibus, in Hispania, Tarracone, Cordubæ et forsitan Castulone, denique in Gallia, Nemausi. Non dubium est quin res se ita habuerit in multo pluribus civitatibus, ad quod confirmandum non omni indicio expertes sumus : pauca vero exempla præsto sunt, nec adeo certa ut ad controversiam ansam dare non possint. Hæc tamen afferemus et breviter exponemus, quum nec ea omnino tacere, nec de incertis rebus diu disserere deceat.

Summa vero cautione utendum est, ne falsa specie decepti militiam municipalem habeamus eam quæ diversi prorsus generis erat. In iis enim provinciis quæ barbaris finitimæ erant aut hostilibus irruptionibus obnoxiæ, peculiaris quædam temperatio adhiberi solebat. Qui ex quaque civitate milites conscribebantur non romanis legionibus immisceri solebant, nec in unum corpus congregari, sed hac ipsa in regione unde orti erant, diversis stationibus attribuebantur, armaque sæpius patria retinebant[1]. Qui ergo tales militum manus pro militiis municipalibus duceret multum erraret. Cavendum est quoque ne mi-

1. Mommsen. *Die Schweitz in Röm. Zeit.* Zürich, 1854, in-4°, p. 21.

litare institutum esse arbitreris quædam collegia quæ ad finem longe diversam spectabant.

In Galliæ parte australi, ubi præter cohortem quæ Lugdunum tenebat, nullum certum præsidium fuisse comperimus, fieri potuit ut aliquot civitatum municipes quoddam militiæ genus constituerent, sive stabiliter, sive in breve tempus. Viennæ enim, in titulo, mentio fit Astiferorum

Allmer. *I. V.* II. p. 328, n. 211.

SIG · GENII
NVMERIVS
EVPREPES
M A G I S T
ASTIFEROR
D·D·

Sig(num) Genii Numerius Euprepes magis(ter) Astiferor(um) d(e)d(icavit).

In altera quoque inscriptione Castelli effossa, Hastiferos reperias ; quæ cum hac nostra Viennensi est conferenda.

Brambach. *I. R.* 640. = Wilmanns, 2278.

IN · H · D · D · DEAE · VIRTVTI · BELLO
NE · MONTEM · VATICANVM
VETVSTATE · CONLABSVM
RESTITVERVN · HASTIFERI · CI
VITATIS · MATTIACOR · X · KAL.
S E P · I M P *Maximino* a 236
ET · AFRICANO · COS · III · QVORVM · NO
MINA · I · S · TA · SVNT
G · MEDDIGNATIVS · SEVERVS · CVR · BIS

L · LEVINIVS · QVETVS TERTINIVS ABROSVS
etc. etc.

In h(onorem) d(omus) d(ivinæ) ; Deæ Virtuti Bellon(a)e, montem vaticanum vetustate conlabsum restituerun(t) Hastiferi civitatis Mattiacor(um), (ante diem) X Kal(endas) sep(tembres), imp(eratore) [Ma-

ximino] et Africano co(n)s(ulibus), hi quorum nomina i(nfra) s(crip)ta sunt : G. Meddignatius Severus cur(ator) bis, L. Levinius Qu(i)etus, Tertinius Abrosus, etc.

Qui fuerint isti Hastiferi non liquet, aliique alia de iis sentiunt. Inter officia municipalia minora eos in indicibus seposuerunt et Orelli, et Wilmanns, et probare conatus est Mommsen eam municipalem militiam esse[1]. Henzen[2] autem, ex eo quod monumentum dictum Mons Vaticanus peculiare erat matris Deorum cultui, conjectat hoc collegium ad rem omnino diversam spectare ; nec vocem *Hastiferi* aliud esse quam vocem Δενδρόφορος in latinum sermonem translatam. Quas inter opiniones dijudicare non facile est. Vero enim proxima videtur hæc conjectura ; illa autem non argumentis caret. Mattiacorum enim civitati (hodie Wiesbaden), utpote in imperii romani finibus sitæ, militia municipalis verisimiliter erat, qua adversus Germanorum incursiones defenderetur. Viennenses etiam novimus arma publica habuisse[3], saltem ad ætatem Othonianam, nec mirum sit ideo ibi militiam quoque exstitisse.

Memorat Tacitus[4] quamdam Ligurum cohortem ad Forum Julii assidentem quam « vetus loci auxilium » appellat. Ex omnibus verbis quæ hunc locum sequuntur, non perspici potest quæ fuerit ista cohors, et nonnulli eam pro municipali militia habent[5]. Fieri autem potest ut una sit ex iis cohortibus quæ a Romanis conscriptæ per patriam regionem dividebantur ad quietem tuendam. Cujus forsan occurrit mentio in inscriptione quadam Vasione effossa[6]. Præfecturam tamen Juliensium quæ

1. *Berichte der Sächs. Gesselsch.* (1852), p. 197.
2. Or. *Suppl.*, p. 492 — *Annali* (1857), p. 29.
3. Tac. *Hist.*, 2,66. Publice tamen armis mulctati, privatis et promiscuis copiis juvere militem.
4. *Hist.*, 2, 14. ....e quibus (copiis) pars in colonia Forojuliensi retenta... Duodecim equitum turmæ et lecti e cohortibus adversus hostem iere, quibus adjuncta Ligurum cohors, vetus loci auxilium.
5. Duruy. *Hist. des Rom.*, V, p. 519.
6. Or. 6943 = Herzog, 435. Vasienses Voc(ontii) C Suppio, C. f(ilio), Volt(inia tribu) Flavo, præfecto Juliensium, tribun(o) militum leg(ionis) XXI

hic memoratur Herzog suspicatur non municipalem esse honorem, sed munus militare, præfecturam scilicet cohortis Vocontiorum, delectæ ex Vasiensibus : quid de hac re sentiendum sit, videbis.

Athenis vero certum videtur militiæ municipalis genus quoddam exstitisse. Quinto enim a. C. n. sæculo ephebos novimus, in pace, urbem et agros tueri solitos[1] et curare ne quies publica turbaretur. Postquam autem Græcia in provinciam romanam redacta fuit, mutari res cœperunt, non tamen omnino, quippe sub imperio romano ex ephebis adhuc quasi exercitus conficiebatur; sed ad pacem solum sacrorum servandam adhibebantur, nec jam agrorum tuenda securitas iis commissa fuisse videtur[2].

In finibus autem imperii, ubi barbarorum impetus frequentes erant, necesse erat juventutem semper ad pugnandum paratam esse ; verisimiliter ergo e juvenibus corpus militare constitui solebat. Ea saltem est clarissimi Mommsen opinio : vult enim tres colonias Aventicum, Rauricam et Juliam Equestrem omni delectu immunes fuisse, ea conditione ut militiam municipalem ex sua juventute conflarent. Hanc opinionem non spernendis firmat argumentis[3]. Eam quoque prodit inscriptionem qua præfectus arcendis latrociniis in colonia Julia Equestri memoratur.

Mommsen, *I. C. H.* 119.

d. *m.*
C.LVCCONI · CO*r*
TETRICI · PRAEFEC*t*
ARCEND · LATROC*in*
PRAEFECT · PRO · II · VIR*o*
IIVIR · BIS · FLAMINIS
AVGVS

Rapacis, etc. Cf. Trebell. Poll. *in Post.*, §. 11. Hujus filio, Postumo nomine, tribunatum Vocontiorum dedi.

1. Dumont. *Essai sur l'Éphébie attique.* Paris, 1876, 2 vol. in-8°, I, p. 16.
2. Dumont, *o. c.* I, p. 161.
3. *Die Schweiz in Röm. Zeit.*, p 20.

6

[D(iis) M(anibus)] C. Lucconi(i), Co[r](nelia tribu), Tetrici, præfec[t(i)] arcend(is) latroc[in(iis)], præfect(i) pro II vir[o], II vir(i) bis, flaminis Augus(ti).

Ea inscriptio, titulorum dispositione, omnino similis est iis quas antea protulimus. Alias etiam eamdem sententiam tuetur [1], omniaque juvenum collegia memorat quæ in imperii romani et Germaniæ limitibus occurrunt [2]. Nos autem docet Renier [3], collegia juvenum ad id instituta fuisse ut celebrarent ludos Juvenales qui, teste Tacito, a Nerone creati fuerant [4], nec quidquam aliud erant quam scenica spectacula. Nihil vero obstat quin istis collegiis in limitibus imperii constitutis, duplex finis propositus fuerit, scilicet ut ludos Juvenales celebrarent et pro municipali militia, si necessitas urgeret, adhiberentur.

Hoc autem affirmare licet, in civitatibus quæ barbaris adjacebant municipes participes fuisse quietis publicæ protegendæ. Ita imperatoris Galbæ ætate, Helvetii « quoddam Castellum suis militibus ac stipendiis tuebantur » [5], conjectatque Mommsen eam curam iis præcipue commissam ut vias tutas præstarent quæ per regionem transductæ erant [6]. Quamdiu hoc munus retinuerint, non plane dici potest ; Taciti autem tempore hoc certo obsoleverat [7]. Ejusdem Galbæ imperatoris ætate Rætorum juventutem militari disciplinæ suetam esse novimus [8]. Constat quoque Agrippinensibus, anno p. C. n. 69, cohortes

1. *Berichte der Sächs. Gesselsch.* (1852), p. 197.
2. Brambach. *I. R.* 1000 (Mainz), 1138 (Zahlbach), 1410 (Altenstadt), 1551 (Oehringen), 1612 (Neuenstadt), 1629 (Rottenburg)
3. *Acad., des insc. et belles-lettres. Comptes rendus* (*Nouvelle série*), 1866, p. 164 et 165.
4. *Ann.* 14, 15. Ne tamen adhuc publico theatro dehonestaretur, instituit ludos, Juvenalium vocabulo.
5. Tac., *Hist.*, I. 67.
6. Mommsen, *die Schweiz in Röm. Zeit.*, *l. c.*
7. Tac., *Hist.*, I, 67. Quod (castellum) *olim* Helvetii suis militibus ac stipendiis tuebantur.
8. Tac., *Hist.*, 5 8. Inde Ræticæ alæ, cohortesque et ipsorum Rætorum juventus, sueta armis et more militiæ exercita.

fuisse quæ forsan non auxiliariæ Romani exercitus, at municipales habendæ sunt [1]. Ex Ovidii loco discimus Tomitanorum civitatem ita esse temperatam ut cives semper ad arma capienda parati essent, quoties tumultus signum dabatur [2]. In Africa alæ I Augustæ Geminæ Colonorum [3], mentio fit quam municipalem Saldarum militiam esse conjectavit Mommsen, non sine dubitatione tamen [4].

Plura istiusmodi exempla proferre adhuc poteramus, sed non certiora [5].

Denique supra dictum est quibusdam municipiis aut coloniis quæ in loco male tuto sitæ erant, peculiare jus concessum fuisse : quoties enim finium tuendorum causa decuriones censuerant armatos cives educere, duumvir ei militiæ præponebatur aut quemquam deligebat quem ei pro se præficeret [6].

Minores vero civitates aut quæ in imperii limitibus sitæ erant, nec peculiari militia utebantur ad quietem servandam ministrorum manibus quibusdam utebantur, quas non recte militias appellares, quippe non more militari constitutæ erant; quum vero non extra propositum nostrum omnino jaceant, paucissima de iis disseremus.

Ad eos viros designandos alii scriptores aliud nomen adhibent ; ea notavimus.

1. Tac., *Hist.*, 4, 28. Cæsæ cohortes eorum in vico Marcoduro, incuriosius agentes, quia procul ripa aberant.
2. Ov., *Trist.*, 4, 1, 73 sqq.

Nunc senior gladioque latus, scutoque sinistram,
Canitiem galeæ subjicioque meam;
Nam dedit e specula custos ubi signa tumultus
Induimus trepida protinus arma manu.

3. Renier. *I. A.* 3518.
4. *Berichte der Sächs. Gesselsch*, 1852, p. 198, not. 1. Cf. Le Bas et Waddington, III, 1575. (Pergæ). Λ. Ῥοτείλιος Οὔαρος ἔ[π]αρχος ἱππ[έ]ων [ε]ἴλης ἀ Κελωνῶν.
5. Cf. Duruy, *Hist. des Rom.*, V, p. 516 sqq. qui hic multa documenta congessit.
6. Cf. Marquardt, *Staatsverw*, II, p. 518, et Willems, *Le droit public romain* 1880), p. 532 et 540.

1° Ministri [1].
2° Ministeria publica [2].
3° Ministeria municipalia [3].
4° Officium [4].
5° Lictores [5].
6° Servi publici [6].

Manifestum est his diversis nominibus idem hominum genus significari, eosque ministros nihil aliud esse quam servos publicos [7], qui sæpissime in inscriptionibus memorantur et quos a Plinio discimus ad custodias asservandas in civitatibus fuisse adhibitos. Quin etiam fieri poterat ut id multo vilioribus ministris committeretur, si eidem Plinio fidem tribuimus. In altera enim epistola narrat fuisse in multis civitatibus damnatos ad metalla aut ad ludum qui publicorum servorum ministerio fungerentur, miraturque, nec injuria, istiusmodi viros ad talia officia retineri [8].

1. S. Joann. *Ev.* 18, 3. Ὁ οὖν Ἰούδας λαβὼν τὴν σπεῖραν καὶ ἐκ τῶν ἀρχιερέων καὶ Φαρισαίων ὑπηρέτας (ministros) ἔρχεται. *Act. Apost.*, 5, 26. Τότε ἀπελθὼν ὁ στρατηγὸς σὺν τοῖς ὑπηρέταις (ministris) ἦγεν αὐτοὺς οὐ μετὰ βίας. Apul. *Metam.*, p. 174. Nec mora, quum magna irruptione patefactis ædibus, magistratibus eorumque ministris...... cuncta completa.

2. *Dig.*, II, 4, 1, § 6. In publicum deduci intelliguntur qui magistratibus municipalibus traditi sunt, vel publicis ministeriis. Apul, *o. c.*, p. 177. Nunc me per proscenium medium, velut quamdam victimam, publica ministeria perducunt.

3. *Dig.* 4, 6, 10. In eadem causa sunt et qui..... a municipalibus ministeriis adservantur.

4. Ruinart. *Act. prim. martyr.* (in-4°), p. 279. Lysias præses provinciæ Lyciæ...... dixit : Offerantur decretioni meæ Christiani qui traditi sunt curialibus hujus civitatis ab officio.

5. *Act. Apost.*, 16, 35. Ἡμέρας δὲ γενομένης ἀπέστειλαν οἱ στρατηγοὶ τοὺς ῥαβδούχους (lictores). Apul. *Met.*, p. 174. Statimque lictores duo de jussu magistratuum, immissa manu, trahere me non renitentem occipiunt.

6. S. Joann. *Ev.* 18, 10. Σίμων οὖν Πέτρος ἔχων μάχαιραν εἵλκυσεν αὐτὴν, καὶ ἔπαισεν τὸν τοῦ ἀρχιερέως δοῦλον. Plin. *Ep.* 10, 30. Rogo, domine, consilio me regas hæsitantem utrum per publicos civitatum servos, quod usque adhuc factum, an per milites asservare custodias debeam.

7. Notabis Joannem in eodem capite verbo *ministros* uti (v. 3) et voce *servum* (v. 10) ad idem hominum genus designandum. Item de Apuleio qui eosdem *ministros*, *ministeria publica*, *lictoresque* vocat.

8. Plin. *Ep.* 10, 40. In plerisque civitatibus, maxime Nicomediæ, et Niceæ, quidam vel in opus damnati, vel in ludum, similiaque his genera pœnarum, publicorum servorum officio ministerioque funguntur.

Quod utrumque hominum genus annua stipendia accipiebat [1].

Denique servi publici interdum in stationibus, juxta civitates dispositis, collocabantur, qui suburbanum agrum tuerentur [2].

Ex omnibus superioribus capitibus et hoc præsertim apparet quam multis rationibus ad quietem servandam Romani providerent, et quam dissimiliter res ordinaretur, prout civitates periculo obnoxiæ erant, aut contra in tuta regione positæ. Hoc vero præsertim sequitur et notandum est : in iis ipsis civitatibus quæ municipales militias habebant, ad incursiones prædonum aut hostium propulsandas, nullum commune institutum reperias. Res omnino æquabilitate caret.

1. Plin., *ibid.* Atque etiam, ut publici servi, annua accipiunt.

2. *C. I. L.* II, 2011. C. Mario, Quir(ina tribu), Clementi, Nescaniensi, ordo Nescaniensium statuam poni jussit et decrevit. Fabia Restituta mater, honore accepto, impensam remisit, epulo dato decurionibus et filiis eorum. Nescaniensium singulis denarios binos, civibus at(que) incolis, item servis stationariis singulis denarios singulos, dedicavit.

CAPUT SEXTUM

Quæ essent variæ municipalium militiarum partes.

In nostris civitatibus duo genera militiarum municipalium plerumque simul existunt; alteri pacis tuendæ munus creditur, alteri incendia sunt exstinguenda.

Apud Romanos non idem discrimen ubique annotares. Non est dubium tamen quin quædam ex iis militiis de quibus locuti sumus publicæ quieti solum præpositæ essent; ita præfecti oræ maritimæ in Hispania, irenarchæ in Asia et eæ militiæ quæ in finitimis imperii regionibus existebant profecto incendiis compescendis non curam dabant. Itaque Trallibus (et sine dubio idem in multis aliis urbibus fiebat) non modo irenarchæ, sed et nyctostrategi erant, ut jam diximus. Item Smyrnæ et irenarcha reperitur et præfectus nocturnæ custodiæ[1].

In aliis vero civitatibus, duplex id munus uni eidemque viro creditum fuisse videtur. Nemausi, summus publicæ securitatis curator, *præfectus vigilum et armorum* nuncupabatur; duplex nomen duplex officium prodit. Huic opinioni assentitur, ni fallor, doctus Giraud[2]; Herzog autem vult eos solum incendia[3] sedanda curavisse, nosque monet « quæ sub cura horum præfectorum arma essent nihil aliud fuisse quam ea quæ adversus incendia essent necessaria ». Quod quidem probare non possu-

1. *Vit. S. Polycarpi.* (*Act. Sanct.* Ed. Palmé.) Januar. III, p. 316, § 28.
2. *O. c.*, p. 20. C'étaient de véritables gardes de police, comme étaient les *Vigiles* de Nîmes dont le *præfectus* n'était assurément qu'un officier supérieur de police.
3. *O. c.*, p. 224.

mus. Si enim se res ita haberet cur, titulo *Præfectus vigilum*, qui satis est ad munus apte designandum, adderentur voces *et armorum*, quæ omnino inutiles sunt? Obvia est rei explicatio : vigilibus isti præfecti præponebantur, iisdemque cura mandabatur armorum publicorum, quibus viri uti poterant si quis motus compescendus esset. Pompeius quidem vetuerat ne quis domi arma retineret[1], idque postea lege Julia sancitum est[2]. Res vero non ad civitates spectabat quæ publica arma habere poterant et habebant[3]. *Præfectum* ergo *armorum* idem valere arbitramur ac *armamentarii custodem*[4]. Eumdem armatis præfectum fuisse verisimile est, sed non affirmari potest.

Omnino simile fuisse crediderim nyctostrategorum munus et præfectorum nocturnæ custodiæ, interposito illo discrimine quod noctu tantum publicæ quieti præficiebantur. Etsi enim pauciora de his documenta habemus, quam ut quidquam affirmare possimus, ex exemplo præfecti vigilum Romæ hoc inferri potest. Scimus enim hunc, præter incendia restinguenda, fures indagare et nocturnas turbas sedare jussum esse[5]. Quin et in aliis civitatibus res similiter se habuerit nobis vix dubium esse potest.

Fatendum est tamen, non in multis urbibus, ut videtur, ad ignes exstinguendos excubias exstitisse, iisque caruisse certum est non vicos tantum aut minimas civitates, sed et magnas. In ipsa Italia, Puteolis et Ostiæ, ante Claudii imperatoris ætatem, tale institutum non exstitisse verisimile est, quia ipse singulas

1. Plin. *H. N.* 84, 39. Magni Pompeii in tertio consulatu exstat edictum in tumultu necis Clodianæ, prohibentis ullum telum esse in urbe.
2. *Dig.* 48, 6, 1. Lege Julia de vi publica tenetur qui arma, tela, *domi suæ, agrove in villa*, præter usum venationis vel itineris, vel navigationis coegerit.
3. Nihil amplius de ea dicendum : res enim optime demonstrata est a Duruy, *Hist. des Rom.*, V, p. 517 sqq., et not. 5.
4. Præfectus ille quem στρατηγὸν ἐπὶ τῶν ὅπλων Smyrnæ reperimus non pro militari præfecto habendus est, quantum res obscura enodari potest.
5. *Dig.* 1, 15, 3, § 1. Cognoscit præfectus vigilum de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, receptatoribus.

cohortes in utraque civitate ad arcendos incendiorum casus collocare coactus est[1].

Nicomediæ, Plinii Junioris tempore, quo « vastissimun incendium multas privatorum domos et duo opera publica consumpsit », nulla municipalis manus erat quæ tantam vim mali coerceret. Privati autem otiosi et immobiles rei spectatores persistebant. Præterea « nullus usquam in publico sipho, nulla hama, nullum denique instrumentum ad incendia compescenda ». Præcepit ergo Plinius ut hæc in posterum pararentur; consilium quoque inierat constituendi collegium fabrorum per quod ignes impugnarentur[2]. Trajanus vero non ei assensus est, ne hoc collegio in hetæriam verso, periculum inde romanæ reipublicæ oriretur[3]. Tali ergo militia multas civitates caruisse credendum est, inter quas sane Pompeii annumerandi sunt, quum hactenus nullum vigilum indicium effossum sit.

In quibus autem istiusmodi institutum videtur viguisse, difficillimum est deprehendere quod hominum genus ad id officium adhiberetur: nam perraro mentio fit de iis quibus præfectus nocturnæ custodiæ praerat; conjectura ergo rem aggrediamur oportet. Bis solum, quantum scio, ii memorantur. Petronius, Trimalchionis cœnam narrans, fingit tantum tumultuatos esse convivas ut nocturni custodes, effractis janiis, quasi ad ignem exstinguendum in domum irruerint. Eos vigiles appellat; sed ex reliquis sententiæ vocibus apparet, quamvis id in Campania agatur, scriptoris mentem romanorum vigilum memoria occupatam esse[4]. Notum est enim in hoc libro Petronium romanæ plebis mores descripsisse[5]. Igitur ex eo loco nullum indicium trahendum est.

1. Suet. *Claud.* 25.
2. Plin. *Ep.* 10, 42.
3. *Ib.* 43.
4. Petr. *Satir.* 78. Itaque vigiles qui custodiebant *vicinam regionem*, rati ardere Trimalchionis domum, effregerunt januam subito, et cum aqua securibusque tumultuari suo jure cœperunt.
5. Quod probavit G. Boissier in acutissimo libro : *L'opposition sous les Césars*. Paris, 1875, in-8°, p. 270 sqq.

Alexandriæ, in potestate nyctostrategi erant viri qui νυκτοφύλακες dicuntur[1]. Nihil vero amplius de his refertur.

Si autem in mentem revocamus quomodo res Romæ administrarentur tempore liberæ reipublicæ, inde aliquid luminis suppetet. Paulus nos docet servos publicos ad id officium fuisse adhibitos[2]. Quod et aliis testimoniis confirmatur[3]. Sed quum hic servorum numerus non verisimiliter sufficeret, erant et privatæ familiæ quæ incendia, vel mercede, vel gratia exstinguerent. Nihil obstat quin credamus idem factum fuisse in quibusdam imperii romani civitatibus, id est, aut servos publicos ad ignes restinguendos adhibitos esse, aut privatorum familias ad id ministerium esse assumptas. Non parvi tamen est momenti locus Plinii Junioris quem jam protulimus. Fabrorum enim collegium constituere ei in animo erat, cui incendia compescenda crederet. Inde sequitur eam rationem per nonnullas urbes in usu fuisse[5]. Quod quidem apud nos hodie, in Gallia, fit. Tum enim in urbibus, tum in vicis, ii vigilum cohorti adscribi solent qui sua arte ad id aptiores esse videntur, tignarii et tegularii et alia fabrorum genera. Fieri ergo potest *collegia fabrorum* quæ sæpissime in inscriptionibus memorantur, a civitatibus ubi contituta erant ad id officium fuisse adhibita, quod Nemausi exstitisse suspaticur Herzog[6].

Denique in aliquot urbibus reperies parata fuisse tantum in-

1. Philo. *in Flacc.* (Ed. Turneb. et Hoesch, 1615, in-f°. Coloniæ Allobrogum), p. 760, G.
2. *Dig.* 1, 15, 1. Erat autem familia publica circa portam et muros disposita; unde, si opus esset, evocabatur.
3. Lydus, *de Mag. Reip. Rom.* 1. 50. Ἀλλ ἐπειδὴ μὴ ταῖς ἀρχαῖς τῆς πολιτείας καὶ τουτὶ συναριθμεῖσθαι τὸ φρόντισμα νόμος, σύστημα δὲ καὶ σῶμα τυγχάνει λειτουργίας χάριν ἐπινοηθὲν... *ib.* Οὕτω μὲν ὁ Παῦλος. Ὅτι δὲ ἀληθὴς ὁ λόγος ἐστι καὶ νῦν τοιούτου τινὸς (ἄπει?) συμβαίνοντος ἀνὰ τὴν πόλιν (Constantinopolim) οἱ τυχὸν ἐπικαιρῶς ἐξ αὐτῶν εὑρισκόμενοι βοῶντες τῇ πατρίῳ Ῥωμαίων φωνῇ· « Omnes collegiati! » οἷον εἰπεῖν· πάντες ἑταῖροι συνδράμετε.
4. *Dig.*, l. c. Cf. Mommsen. *Staatsrecht*, II, p. 1008 (Éd. 1877).
5. Plin. *Ep.* 10, 43. Tibi quidem, *secundum exempla complurium*, in mentem venit, posse collegium fabrorum apud Nicomedenses constitui.
6. *O. c.*, p. 224.

strumenta ad comprimendum ignem necessaria, nullum vero vigilum corpus exstitisse; in quibus ea cura populo relinquebatur; si quod ergo incendium oriebatur, oportebat sponte incolæ sedandum ignem susciperent. Ita Nicomediæ se res habebat, saltem post Plinii legationem[1].

Alterum præfectorum nocturnæ custodiæ munus fuisse suspicati sumus turbas coercere et noxios apprehendere. Narrat enim nobis Apuleius[2] præfectum nocturnæ custodiæ Hypatæ, in Thessalia, dum omnia maxima diligentia circumspiceret, juvenem deprehendisse qui, mucrone destricto, cædem perpetrare videretur; quum vero ille ei manum inferre pararet, effugisse juvenem et in domum quamdam se condidisse. Mane autem, priusquam clandestinis itineribus elaberetur, deprehendi et ad magistratus civitatis eum produci præfectus curavit.

Ex hoc loco aliud quoque concludendum est : quoties præfectus nocturnæ custodiæ turbatores arripuerat, non ut urbanorum vigilum præfecti, de iis cognoscere poterat; sed in custodiam conjiciebat eos, unde ad magistratus producerentur.

Hoc vero maximi momenti est, eaque communi norma usi videntur omnes præfecti, tam nocturni quam diurni. Nulli jurisdictio concessa erat; sed arreptum noxium aut municipalibus judicibus, aut etiam romano magistratui tradebant qui de re sententiam ferrent. Facile intelligitur quantum periculum civium securitati oriri potuisset, si jus dicere militiarum municipalium præfectis licuisset. Id tantum eis præcipiebatur, ut quæ gesta essent, et quæ de reis audivissent, cum fide proferrent, aut præsentes voce, aut absentes litteris. Ita, apud Apuleium, præfectus nocturnæ custodiæ circumsedentibus magistratibus narrat quæ nocte acta fuerunt, et supra vidimus quomodo res in Asia se haberet. Oportebat irenarcha ad summum provinciæ magistratum obsignatam epistolam mitteret, et quoties necessarium erat, ipse ad præsidis tribunal veniret ut

1. Plin., *l. c.*
2. Apul., *Metam.*, p. 178.

quæ scripserat vera esse probaret. Si vero res gravis erat et capitalis causa esse poterat, ex omnibus scriptorum locis et actis martyrum constat a proconsule aut legato pro prætore judicium ferri solitum[1].

Ita, quemadmodum præses municipalibus magistratibus curam committebat quærendi et arripiendi noxios, qui annotabantur[2], ita sibi sententiam de iis dicendi jus vindicabat.

Eæ vero militiæ non solum ad interiorem civitatum aut urbium pacem tuendam utiles erant ; non semel evenit ut ad hostem repellendum Romanis multum profuerint.

Facile enim intelligitur earum civitatum militias quæ in extremis imperii finibus sitæ erant, maximo auxilio rei romanæ fuisse ; agros enim proprios defendentes, reipsa imperium tuebantur. Quod si acrior barbarorum irruptio urgebat, saltem primum impetum sustinebant, antequam legiones adesse possent. Non semel etiam, ut vires augerent, legati eas militias legionibus junxerunt. Ætate Vitelliana, quum Helvetii rebellaverunt ob raptam ab una et vicesima legione pecuniam missam in stipendium castelli quod suis militibus tuebantur, Cæcina auxilia Rætica ad subsidium vocavit, et ipsam Rætorum juventutem (de qua supra diximus[3]), qui Helvetios a tergo aggrederentur[4]. Eodem tempore, in provincia Narbonensi, Fabius Valens adversus Othonianos duodecim equitum turmas et lectos e cohortibus misit, quibus adjunxit Ligurum cohortem quæ forsan pro militia municipali habenda est[5].

Postremo, quum quædam extrema necessitas ingrueret, et legionarii milites omnino deessent, eæ militiæ pro legionibus interdum adhibebantur. Quod M. Aurelii ætate advenit. Quum

1. Cf. Naudet. *De la police chez les Romains*, p. 821.
2. *Dig.* 48, 17, 1, § 2. Præsides autem provinciarum circa requirendos adnotatos hoc debent facere :.... sed et litteras ad magistratus ubi consistunt mittere, ut per eos possit innotescere requirendos eos esse annotatos. Cf. *ib.* 11, 4, 1, § 4 et § 6.
3. Cf. p. 72.
4. Tac., *Hist.*, 1, 67.
5. Cf. p. 80.

ille et L. Verus, confecta expeditione Parthica, adversus Germanos et Marcomanos bellum pararent, pestilentia ex Oriente a Veri militibus delata per imperium sæviit; deerantque viri qui conscriberentur. Imperator ergo diogmitas suo exercitui immiscuit. Ut vero ejus militiæ armatura ad fugaces prædones persequendos idonea, ita ad prælium cum hostibus committendum nullo modo apta erat; eos ergo, teste Capitolino, armis necessariis instruxit[1]. Fuerant tamen quidam inter Asiaticarum civitatum cives qui, aut jubente M. Aurelio, ut suspicatus est clarissimus Waddington[2], aut sponte sua, diogmitas ipsi armis instruxerint. Quod in quadam inscriptione Æzanis effossa memoratur[3]. Fieri potest ut et alias simile quid advenerit.

1. Capit. *in M. Anton.* 21. Armavit et diogmitas.

2. Le Bas et Waddington. *Voy. Arch.*, III, 992. Cf. commentarium qui nscriptionem sequitur.

3. Le Bas et Wadd. III. 992, τὸν δεῖνα] χρεο[φυλακήσαν]τα, δόντα [ἀργύριον] εἰς τὸ γυμνάσιον, ὁμοίως καὶ εἰς τὰ σειτωνικὰ, ἐργεπιστατήσαντα πολλάκις, παρασχόντα τῷ κυρίῳ Καίσαρι σύμμαχον διωγμείτην παρ' ἑαυτοῦ κατὰ ἀνθύπατον Κοϊντίλιον Μαξίμον, ἀναθέντα καὶ τὰ ἱερὰ τὰ ἐν τῇ ἐξέδρᾳ τῆς βασιλικῆς.

CONCLUSIO

Ex omnibus rebus quas exposuimus concludendum est fuisse in omnibus fere imperii Romani partibus, imperatoria ætate, militias aut municipales, aut provinciales, quas non modo principes tolerabant, sed etiam quibus favebant. Duplici enim ratione ad tuendam regionum pacem Romani utebantur. Quoties externorum hostium irruptio imminebat, aut intus gravis seditio coorta erat, aut prædonum manus solito melius composita vagabatur, suis ipsis militibus quietem restituendam sibi vindicabant; tum vel legionibus, vel auxiliariis cohortibus, vel vexillationibus, vel etiam loci incolis, præsidis aut legati jussu tumultuarie delectis, justoque exercitui immixtis, res gerebatur. Cujusvis vero civitatis erat agri sui securitatem defendere, latrones arripere, in custodia tenere. Quarumdam etiam provinciarum fines aut littus a peculiaribus militiis protegebantur; unde maxima Romanis utilitas, maximus civitatibus et civitatum primoribus honor suppetebat.

Non tamen jus militias proprias retinendi urbibus et provinciis immoderatum fuerat concessum; curabant imperatores ne quid inde detrimenti reipublicæ oriretur, namque:

1° Aut ipsi aut per provinciarum præsides plerumque eligebant quos municipalibus militiis præficerent.

2° Si quis ex iis præfectis potestate improbe usus erat, munere abrogabatur, ut videtur, ejusque munus alteri deferebatur.

3° Iis præfectis, de arreptis judicium ferre non licebat; nec magistratibus civitatis, si res alicujus momenti erat; sed supremam sententiam pronuntiare romanæ reipublicæ erat.

Postremo notandum est decurionibus acerrime reddendas esse rationes si quid in civitate acciderat quod Romani ægre ferrent.

Hac prudenti rerum temperatione definita, qua provinciales et honorum invitamento sollicitabantur, et pœnarum metu cohibebantur, intelligitur has militias nequaquam rei romanæ metuendas fuisse. Atqui omnis rebellio inanis fuisset; istæ enim copiæ contra prædones aut piratas efficaces, adversus legionarios omnino pugnæ impares exstitissent. Adde quod, ex multis scriptorum testimoniis provinciarum incolas felicissimos fuisse constat; bellum ubique, exceptis finibus, quieverat ; vigebant agricultura et commercium ; servitii omnes immemores erant, alii honorum spe allecti, alii vitæ commoditate capti ; nec vano tantum cultu totius orbis romani incolæ Romam et Augustum una venerabantur.

Vidi ac perlegi

Lutet. Paris. in Sorbona,
pr. non. Jun. an. MDCCCLXXX
Facult. Litter. in Acad. Paris. decanus,

H. Wallon.

Typis mandetur
Academiæ Parisiensis Rector,

Gréard.

INDEX

PROOEMIUM

CAPUT PRIMUM

DE PRÆFECTIS VIGILUM ET ARMORUM

CAPUT SECUNDUM

DE PRÆFECTIS ORÆ MARITIMÆ

CAPUT TERTIUM

DE IRENARCHIS

CAPUT QUARTUM

DE TRIBUNIS MILITUM A POPULO

CAPUT QUINTUM

DE QUIBUSDAM ALIIS MUNICIPALIBUS MILITIIS

CAPUT SEXTUM

QUÆ ESSENT VARIÆ MUNICIPALIUM MILITIARUM PARTES

ERRATA.

Pag. 7, lin. 19,	pro	*filio*	lege	*f(ilio).*
— 12, not. 2,	—	*n.* 151	—	*not.* 151.
— 19, lin. 2,	—	C. I. II	—	C. I. L. II.
— 28, lin. 9,	—	Διονύσος	—	Διονυσίος.
— 35, not. 3, lin. 4,	—	δέομα	—	δέομαι.
— lin. 6,	—	τοῦτονι	—	τοῦτον.
— 38, not. 6, lin. 3,	—	ζημία	—	ζημίαν.
— 43, not. 2, lin. 1,	—	*Lib.*	—	*Liv.*
— 54, lin. 1,	—	*ege*	—	*lege.*
— 59, lin. 25,	—	*hoc loco quo*	—	*in hoc loco ubi.*
— 65, lin. 31,	—	*Primus.*	—	*Primus,*
— 67, lin. 1,	—	TER	—	ITER.
— 82, lin. 17,	—	*Castellum*	—	*castellum.*
— 86, lin. 17,	—	*curator, præfectus*	—	*curator præfectus.*
lin. 19,	—	*eos*	—	*eos viros.*
— 88, lin. 19,	—	*praerat*	—	*præerat.*
— 89, lin. 21,	—	*contituta*	—	*constituta.*
— lin. 22,	—	*suspaticur*	—	*suspicatur.*
— 91, not. 3,	—	72	—	82.
— 97, lin. 13,	—	*Viennice*	—	*Viennæ.*

945. — PARIS, IMPRIMERIE A. LAHURE
9, rue de Fleurus, 9

PARIS. — IMPRIMERIE A. LAHURE
Rue de Fleurus, 9.